ERRATA.

C. 4. f. l. 8. *lege* Nomen.
G. 3. f. 3. l. 5. *lege, dominum nostrum Iesum Christum.*
I. 3. f. 2. l. 30. *lege, tanti.*
I. 4. f. 3. 28. *sæpenumero.*
K. 2. f. 2. l. 3. *lege constat.*

(4871) 4

SELECTAE

ALIQVOT EPISTOLAE DES. ERASMI Roterodami nunquam antehac euulgatæ.



GERMANVS BRIXIVS ERASMO

Roterodamo, S. D.

VENIO ad epistolæ tuæ partem, quæ ad te magnopere pertinens, mihi tecum quo dammodo cõmunis est. Facere enim non possum pro necessitudinis nostræ iure, quin ipse statim existimationis istius tum commodi, tum incommodi particeps fiam. Equidẽ magnopere optarim Erasme amicissime (sanctius uerbũ usurpare hic non possum) nullã nubeculam, hoc præsertim tempore, alioqui studijs humanioribus satis infesto, subortam fuisse, per quã amicitiæ cũ Budæo tuæ splẽdor obscurari posset. Est Budæus, quod tu non nescis, nostris omnibus sic admirabilis, ut eum tanq; pro numine aliquo studiosi omnes hic colant. Hoc non solum obtinuit hominis fides, probitas, autoritas, uerumetiã ætas, ingenium, doctrina, quæ talis quidem est, ut nihil sit, quod discere uelis, quod ille docere non possit. Mihi certe id ille est, semperq; fuit, quod Plinio Aristo suus erat. nam quoties aliquid abditum quæro, mihi Budæus thesaurus est. & ut summatim dicam, talis est Gallis suis Budæus, qualis Germanis suis Erasmus. quo maior indignatio nostrorum omnium animos subit, quod hac in opinione, iusta de causa, quũ sint, existiment illũ abs te non tantũ Badio collatum, sed & postpositum. Scio Badium non esse prorsus ἄμουσον. Verum qualis qualis est, talem se certe homi-

nibus nostris hactenus probauit, ut quoties de doctis sermo inter doctos incidit, de Badio plane οὐδεὶς λόγος. Illi, quod non inficiaris, quæstus tantum, nõ eloquentia scopus est. Mihi porrò epistolæ πρὸς τὴν δεῖνα tuæ exemplo opus non erat, ut ad causæ tuæ patrocinium instructior fierem. nolim tamen multis de causis nõ lectam mihi epistolã. Sciunt nostri omnes quid statim aperto ore dixerim, quũ apud me plerique grauissime quererẽtur, post Ciceroniani æditionem, ob multa in eo libello, quæ non omnibus arriderẽt, sed præsertim ob perstrictum, ita enim loquebantur, Budæum, qui ijdem ut me secum sentientem facilius inuenirent, quã poterant inuidiosissimum mihi reddebãt Nosoponi tui latum de me iudicium. Apagete, inquam ego, non attenditis in Ciceroniano quod ante omnia attendendum fuerat, Erasmum diuersum sentire, quũ Nosoponus, diuersum itẽ, quũ Bulephorus loquitur. præterea toto in opere autori unum hoc fuisse propositum, nõ quidẽ ut Tullianã eloquẽtiam uellicet (id enim factũ, plane insani hominis factum fuerit) sed ut superstitiosam quorundam Tullianæ dictionis affectationem, quã ipsam nemini antiquorum curæ fuisse uidemus, rideat, detesteturque: quod argumẽtum feliciter, nisi me meum iudicium fallit, atque adeo Ciceroniane, hoc est magna arte, pari eloquẽtia, nec minore copia ab Erasmo tractatum inueniet, quisquis hactenus prudens,

patiensque

patiensque fuerit, ut Ciceronianum ipsum prius attẽte totum legere, quã de eo minime lecto pronuntiare maluerit. Nam quæ, malum, animi peruersitas, aut iudicij præposteritas illa est? damnare non dico quæ minus recte intellexeris (id enim leuius malum) sed quæ prorsus nunquã legeris, ac quæ ne in animo quidem unquã legere habeas? memineram enim Erasme optime damnandis præsertim scriptis tuis alijs atque alijs antehac multos hac eadẽ temeritate transuersos actos. Omnia porrò, quæ tum pro causæ tuæ tuitione à me in mediũ allata sunt, tibi hic recensere nec possum, nec libet, sed tamen quod ad animi erga te mei significationẽ pertinuit, equidem refellendis à me illorum rationibus beneuolentior tibi, quã antea essem, nihilo sum factus, diligentior ad declarandam beneuolentiam multo. Ego enim tametsi nihil uidebatur ad meũ erga te amorem addi posse, tamen tali inter nostros tumultu ob Ciceroniani æditionem oborto, non maiore quidẽ studio, sed acrius, apertius, significantius dignitatem defendi tuam, atque ita demũ defendi, ut ipse ego iã defensore aliquo indigeam, qui causam apud illos meã tueatur. Vocor enim ab illis in ius, quod Erasmo plus æquo propensus sim. Huius rei testis mihi locupletissimus apud te esse potest Thomas Lupsetus communis amicus, qui & ipse constanter una mecum à partibus tuis stat, ægerrime ferens existimationem tuã tali de causa

 in

in eiusmodi incõmodũ hic incurrisse. Sed ut ad illorũ sermones questusq; redeam, me certe illos audientem ut uetus nostra amicitia stimulabat, ut cauerem ne cui suspitionẽ animi, ex ea, quã dixi, Nosoponi tui de me sententia, offensi, darem: sic tumultus idẽ, seu simultas potius maiorem mihi curã afferebat cauendi, ne quid cui de summo meo erga te amore detractũ esse uideretur: quũ & alioqui tali ingenio prædituũ me agnoscerem, ut me intra me tãtum quærã, externarũ laudum minime solicitus, ambitiosus ue. Meminimus enim quanto maiore cũ uoluptate, ingenij ac doctrinæ fructus in conscientia, q; in fama reponatur. Enimuero Erasme suauissime ut te à me apud alios defensum, apud te nonnihil accusem (facit autem tum παῤῥησία apud omnes mea, tum amor erga te meus, singularis ille quidẽ, & eximius, ut hoc mihi iuris apud te sumã) ut ergo te apud temet nonnulla ex parte reum agam, Equidẽ quod tu mihi uideris ad collationẽ eam, qua de agitur, paulo, incõsyderatius descẽdisse, optarim uel existimationis meæ detrimẽto aliquo redemptũ esse, te, uel Budæi nomen in Ciceroniano tuo prorsus suppressisse, uel de Budæo seorsum qd sentires enũciasse, uel eundẽ cum alio quouis potius q; cum Badio commisisse. ea enim una cõmissura adeo nostris omnibus inuidiosa est, ut multorum tibi beneuolorum animos à tui studio abalienarit: ob id quod existimãt Budæũ

cum

cum Badio cõmissum perinde esse, ac si quis Achillem cum Thersite cõmitteret. Talẽ illi de Budæo, talẽ item de Badio opinionẽ unanimes imbibere, quum tamen Budæus ipse mihi uisus sit totã hanc fabulam, quum de ea primum inter nos sermo incidisset, susq; deq; ferre: ea est enim tum prudentia, tum animi magnitudine præditus Budæus, ut sua omnia ad conscientiam, non ad ostentationem referat, studiorumq; suorum non ex illius, uel illius sermone mercedem, sed ex ipsis met studijs petat. Non desunt tamen qui mihi narrãt illius animum nunc hac de causa esse nonnihil offensum, sed quod multis iam diebus hominem non uiderim, id mihi plane cõpertum esse non potest. Proinde tametsi multorum affectum ut rectum iudiciũ respiciẽdum haudquaq; puto, tamẽ nõ negauerim dandũ esse aliquid hominum opinioni: præsertim qui uideam uos magnos oratores solere solicite operam dare, ut oratio uestra audiẽtis uulgi animis sese gratiosa insinuet: desiderareq; ut à populo plausum, acclamationem, nonnunq; & assentationem magisq; exsibilationem, ac cachinnum excipiatis. Itaq; non parum de existimatione apud nostros tua bene meriturum te opinor, si præstiteris, ut uel loco ad Budæum pertinente immutato, uel appendice ad opus attexta, uel epistola aliqua ad hũc, uel illum scripta, eaq; postea ædita, id Gallis nostris probatũ fiat, quod re uera omni

bus

bus probatum esse peruelim,quodq; mihi, atq; adeo nisi fallor,Budæo ipsi,cuius unius causa agitur,abunde probatum est,Te uidelicet neq; Budæi gloriæ inuidere,ut omnino non inuidere mihi facile persuasi:pares enim estis,qui autẽ inuidet minor est:neq; quũ de Budæo, & Badio simul uerba faceres,te id de doctrina,atq; adeo eloquentia Budæana sensisse,quod sensisse multi falso(maligne enim dicere nolim) interpretati sunt:ad tuam aũt gloriam pertinet,q̃ maximum uideri eum,quem exæquas. Hic mihi causæ totius status esse uidetur. Tu uidebis causa ne ea tibi in forum deducenda agendaq;, an potius deferenda sit.nam ego hæc tibi à me simpliciter atq; amice scripta esse uolui,quia æquum erat te pro amore mutuo,non solum meam causæ tuæ defensionem,uerumetiam consilium in causa tua meum cognoscere. neq; enim solum studio erga te meo, uerumetiam iudicio de te meo satisfaciẽdum putaui:uidebam enim non tam mihi considerãdum esse,quid uir optimus in præsentia probares,q̃ quid semper esses probaturus. Tuum nunc est Erasme optime eadẽ simplicitate atq; amicitia rescribere,cõsilium meum sequi, an ab illo dissentire malis. Qui si tibi erroneus cõsultor esse uidebor,amabo te erroris mei rationẽ ut explices. Quanq̃ enim autoritati tuæ cedere nulla nõ in re,nullo non in loco sum paratus,tamẽ in ea causa,in qua minus apud me affectus,

q̃ apud

q̃ apud te ualere potest,rectius arbitrabor ratiõe abste,quàm authoritate superari. Confido tamen omnino accessurum te sentẽtiæ meæ, effecturumq; ut neq; me consilij dati neq; te accepti pœniteat. Quod ad edictum,cuius postrema epistola tua meminit, pertinet, quidnã ego aliud dicere hic possum, nisi quod edicto cautum esse hostes tui uoluere,scripta tua senilia esse, non puerilia,posteaq̃ pueros solos ab illorum lectione summouẽdos sanxere.sed extra iocum, quanq̃ iocus hic non est, miseret me profecto scriptorum seculi huius,quibus haud satis esse uideo ad arcẽdum existimationis,nõnunq̃ & capitis periculum,quod sani ad scribendum accesserint,nisi & sanos ubiq; lectores nacti fuerint. planè enim alienæ uel malignitatis,uel deliberationis,uel utriusq; potius pœnas luunt. Huius indignitatis recordatio in animum meum identidem influẽs, facit Erasme doctissime,ut qui alioqui assiduus meditor,si qua me quoq; possim tollere humo,animũ tamen nonnunq̃ despõdeam, mihiq; reliqua uita ad Harpocratẽ relegato silentiũ indicere perpetuum proponã. Sed de hoc plura aliàs. Perturbat me magnopere aduersa tua ualetudo,in hoc maxime(auribus hic ego tuis Erasme nequaq̃ blãdior) quod mihi nõ unus homo,sed literæ ipsæ, omnesq; bonæ artes in uno homine summum periculum adire uideantur. Itaq; oro te,& obtestor,ut tum animi mei perturbationi crebris

literis cõsulas,tum ualetudini curandæ diligentissime, atque accuratissime inseruias. Erit tam hoc studiosis omnibus fructuosum, quàm animo meo iucundum. Sed iam finem facio,ne epistolæ modum,quem iam supgressus sum,supra modum excedam. Tu uero ni si æque longam epistolam reddis,si modo id per ualetudinem potes, non est quod postea nisi breuissimas expectes. Ex hortis nostris Gentiliacis,ij. Idus Augusti. M.D.XXVIII.

DES. ERASMVS ROTER. GERMANO Brixio Archidiacono. S. D.

ADMONVERas pridem ornatissime Brixi, Ciceronianũ æditum mihi nõnullam isthic inuidiam conflasse,quod ego facile augurabar fore,sed duntaxat apud eos qui tali superstitione tenerẽtur,qualem affingo Nosopono,sub unius persona mederi studens omnibus, At nihil minus expectabam, quàm ut ex eruditorum numero quisquam existeret, qui censeret libellum ad publicam studiorum utilitatem elaboratum,Hipponacteis epigrammatijs lapidandum ,quod isthic fieri significant amici neutiq; leues, & in gustum miserunt tria quatuór ue, non minus iniqua q; indocta,nec tacuerunt qui nam essent illorũ autores. Frequenter deplorare

plorare soleo pietatem Christianã tam miserãda dissidiorum lue nusq; gentium non periclitari.Sed uereor ne similis lues inuadat politiora studia, quæ iã pridem multis regionibus sat feliciter efflоruerũt, sed nõ alibi felicius q; in uestra Gallia.Nã apud Italos bellorum tumultibus conterritæ musæ silent frigentq;.Ego uero quãq; natura plurimũ absum ab istorũ ingenio, qui sic addicti sunt huic aut illi nationi, ut cæteras propemodum oderint, tamen si in ullam nationem animo propẽsiore fui, semper in Galliam fui:cuius rei testes esse possunt,quum hi qui mecum familiariter uixerunt,tum meæ lucubrationes,in quibus libẽter immoror Gallicæ gẽtis encomijs:nominatim autem Panegyricus quo principi Philippo ex Hispanijs reduci gratulor. Quo magis etiam me discruciat hoc fatale dissidium,quod duos orbis potẽtissimos monarchas tam diu dirimit.Quoniam autẽ uidebam apud Germanos,aut extingui prorsus,aut misere frigere liberalium disciplinarũ studia, apud Italos inter armorum crepitus non audere caput exerere, gaudebam certe apud uos Musis esse sedem tranquillã & amœnam. At plurimum referebat, ut inter eos qui literas humaniores propugnãt, esset studiorum & animorum consensus,quod exemplum uel ab hostibus literarum petendum erat, quos uidemus miro syncretismo , iunctisq; phalãgibus aduersus hæc studia dimicare.Nec

hic ad calculũ uenire oportuit, ſub quo quis cœlo natus eſſet. Ciues inter ſe ſunt ac ſymmyſtæ, quicũq; ſtudijs ijſdem initiati ſunt. Nunc quorſum attinebat ex cauſa tam friuola, tam ſeriam excitare tragœdiam, & his qui nõ minus male uolunt nobis omnibus, quàm ipſis ſtudijs, hoc longe gratiſſimum ædere ſpectaculum, quo magis ac magis accendantur ad id, quod ultro nimiũ agunt ſtrennue? Oleum inquiunt camino. Sed dediſti inquiẽt cauſam. Quam obſecro cauſam? Niſi planè uolumus nobis ipſis oculos obtegere, quid aliud agit ille libellus, quàm ut ſuperſtitioſam, anxiam, ineptam, & imperfectã Ciceronis æmulationem traducat, atq; ad ueram eius autoris imitationẽ prouocet? Quis hoc doctus, quis ſanus nõ probet? Quid autem ad ueram eruditionem inutilius, cũq; ſi iuuẽtus cõtemptis omnibus qui à Ciceronis phraſi diſcrepãt uni ſit addicta, cuius tamen nihil effingere conetur, niſi quod in illo minimi eſt momẽti? Morbus hic primum ex Italia duxit originem, nec ulli maiores ibi tumultus cõcitarunt, quàm qui minimum habebant Ciceronis. Nec paucos noſtratium ea lues afflare cœperat, præſertim illos q nobis ex Italia redierunt. Id quoniam perſpiciebam uehementer inutile, uel eruditioni ſolidæ, uel Chriſtianæ facũdiæ, paucorũ dierũ opella mihi ſumpta eſt, ut eam ſuperſtitionem ab animis iuuenum depellerem, ab hoc ipſo quod affectatur ſub-

mouentẽ,

mouentẽ, dũ & tot autores lectione dignos faſtidiũt, nec eum quẽ unum ſibi proponunt aſſequuntur. Nec enim tam ſum cæcus, ut non uideam M. Tullium ſic eloquentiæ principem eſſe, ut cæteri quamlibet per ſe facũdi, ad hunc compoſiti uelut obmuteſcere uideantur. Proinde non uideo quur illos offendat argumentum, ad quod ſuſcipiẽdum literis hortatus ſum Guilhelmum Budæũ, & ille ſignificarat ſibi in animo eſſe, per occaſionem hoc genus hominum accipere. Quod ſi huic non diſplicuit argumentum, quid eſt quod fremunt iſti, qui Budæi ualde ſtudioſi uideri uolunt? At fortaſſis nõ offendit argumentũ, ſed tractandi ratio, quoniam propemodum omnes ſubmouet Noſoponus ab honore Tulliani cognominis. Atqui reputare debebant, illic Noſoponũ loqui non Eraſmũ, quanq; ne Bulephori quidẽ ſimplex eſt oratio, quippe qui ſe fingit eodẽ teneri morbo, ut alteri medeatur, eoq; patitur probatiſſimis quibusq; ſcriptoribus hoc honoris negari, ne Noſoponus prorſus animum deſpondeat, ſi minus quod ambit aſſequatur. Itaq; non illic ſuggillantur qui negantur eſſe Tulliani, præſertim ad regulã æſtimationemq; Noſoponi: quin potius illud erat propoſitum, ut perſuaderem fuiſſe multos ea doctrina facundiaq; præditos, ut ſi non ſimilibus, certe paribus dotibus cũ Tullio certare poſſent, qui tamen ab illa Ciceronianæ phraſeos cute bracteaq;, quam

unam affectant quidã, longissime absint. Adeo uero nullius nome fuit animus mihi ꝑstringere, ut quanq̃ induco personam parum integri iudicij, tamen hic à decoro nonnihil deflexerim, neminem recensens, cui non suã laudem tribuerim, sane quantũ in transcursu καὶ ἐν παρέργῳ licuit. Nec enim illic susceperam censuras, aut encomia scriptorum omnium. Sufficiebãt ad id quod agebam exempla decem, Sed à quibusdam arbitrabar me initurum gratiam commemorati nominis, & sunt qui gratias egerunt, tum existimabam eam iudiciorum uarietatẽ nõ inutilẽ fore iuuenibus, eruditæ facundiæ cãdidatis, quod ipse prioribus ad me literis sentire uisus es. Sed indigne ferũt quidam parum honorifice tractatum ibi Budæum. Qui sic? An quia Nosoponus nondum à superstitione liber, submouet illum ab albo Ciceronianorum? Hoc ipse Budæus ingenue fatetur, qui nec affectat hoc quod requirit Nosoponus, atq; dãnat etiã quod unũ ille miratur. Nec ideo quisq̃ submouetur ab eruditorũ aut eloquentiũ ordine, quãdoquidem in eodẽ dialogo doceo, fieri posse, ut existat aliquis Cicerone tum eruditior, tum etiam eloquentior, qui tamen illi in dicẽdi charactere sit dissimillimus. Vbi nã igitur est hic illa in Budæum cõtumelia? Faciant illum M. Tullio doctiorem, non arcetur ab hac laude, faciant illum facundiorem, nihil obstat elogiũ Nosoponi. At paucis

attingo

attingo laudes illius. Nõ enim patiebatur copiam argumenti suscepti ratio, uerũ in annotationibus noui testamenti, in adagijs non raro quæsitus est campus in illius laudes expatiandi, si minus id factum est in epistolis: nisi forsitan hoc quoq; contumeliam ducũt in Budæum, quod ab Erasmo laudatur, quũ frequenter, tum in argumẽtis serijs, atq; haud scio, an seculis aliquot autori suo superfuturis. Vtcunq; de hoc iudicant, certe à me honoris gratia factum est. Quanq̃ non eram nescius, nec illius modestiã desiderare mei calami testimonium, nec illius gloriam egere nostra commendatione, quippe qui domi habeat, unde semet orbi charum clarumq; reddat, etiamsi nondum esset, ut est, celeberrimus. Sed hoc tum existimabam studiorum interesse, ac ut ingenue dicam, mea quoq; nonnihil. Tantũ enim semper Budæo tribui, ut illius amicitiã mihi cum primis honorificã duxerim, eiusq; uiri mẽtione ueluti gẽmis additis putarim aliquid dignitatis accedere libris meis. Quin & eas laudes quas tu illi in epistola tua cumulatissime tribuis, magna cum animi uoluptate legi, gaudens apud uos saltem haberi honorem egregijs meritis debitum, ac uirum de rectissimis studijs & hactenus optime meritum, & indies melius ac melius merentẽ pro numine coli. Hunc animum quũ constanter erga Budæum gesserim, & adhuc geram, quid est quod isti liuoris & odij

suspi

ſuſpiciones fingunt? Verum illud prædicant crimen eſſe nulla purgatione diluẽdum, quod Budæum cum Badio contulerim. Primum illic nõ iugatim commemorãtur eruditorum nomina, quẽadmodum Quintilianus græcos cum latinis cõmittit, ſed iuxta regiones, Budæus autẽ & Badius fors ſimul occurrebant, quoniam uterq; Gallus, uterq; uiuit Lutetiæ. Niſi forſitan hoc quoq; putant non ferẽdum, ſi in eodem catalogo recenſeantur Budæus & Badius. Hoc qui ſentiunt, longe diſſentiũt ab animo Budæi, niſi prorſus totam illius naturam ignoro. Sed confers, inquiunt, alterum alteri, formicæ camelum. Imò Noſoponus, inquam, confert non ego. Sed age nihil mihi patrocinetur perſonæ cauſatio, quod ad hunc ſanè locum attinet, ſcripſerit hoc Eraſmus & ſcripſerit ex animi ſui ſentẽtia, num ullo uerbo læſa eſt Budæi exiſtimatio? Cõfero, ſed qua tãdem in re? Num in maiorum imaginibus, num in opibus, nũ in dignitate, num in eruditione, aut eloquentia? Nequaq; Tantũ in cute bracteaq; Ciceronianæ phraſeos, quã ingenue negligit Budæus, & ibi ex profeſſo negligendam doceo, & à ſummis probatiſſimiſq; ſcriptoribus neglectam fuiſſe demõſtro, nec aliter cõfero Budæum cum Badio, q̃ Leonardum Aretinum contuli cum Quintiliano, Philelphum cum Plinio. Sed anteponis inquiunt, propemodum Badiũ. Nimirũ in eo præfero in quo

præfe-

præferẽdus eſt, in quo quamlibet prælatus nihil offi cit gloriæ Budaicæ. Siquidẽ hoc illic agitur, celeberri/mos quoſq; ſcriptores fuiſſe Ciceroni diſſimiles. Proinde quo magis antecellit eruditione facundiaq; Budæus, quo q; longiore interuallo à tergo relinquitur Badius, hoc exẽplum eſt aptius ad id q̃d illic molior. Demiror iſthic eſſe doctos qui hæc nõ uideãt, & ſi uidẽt, magis etiã demiror eſſe qui uociferentur, qui ma ledicis uerſiculis rem dignam exiſtimẽt. Poſtremo, ne quis improbus arriperet anſam calumniandi, de collatione diſpari, ſubñcio, quanq̃ Guilhelmus Budæus aliis multis eximijsq; dotibus ſuſpiciẽdus eſt. Quod hic uerbum quod non habeat emphaſim eminẽtiæ? Tribuo illi multas dotes, non hoc ſatis erat animo meo, addo eximias, nec dixi, præditus eſt, ſed ſuſpiciendus eſt, non iã illum Badio tantum præferens, ſed uniuerſis penè ſcriptoribus anteponens: neq; enim paulo ſublimior eſt omnibus, quẽ ſuſpiciunt omnes. Hæc cum ſint meridiano ſole clariora, quæ nam iſta iudiciorum cæcitas, ut quum ego tam honorifice tractarim Budæum, non aliter fremant, q̃ ſi in faciem illius expuiſſem? Dicor, ſi muſis placet, laceſſere uiuos & mortuos, quum illic neminem præterierim illaudatum, præter unũ me. Atq; adeo is ipſe qui fertur huiuſmodi uerſiculis ludere, ſatis honorifice commemoratur in eo dialogo, nec uſq; alibi nomen illius attin-

go,ſine honoris præfatione. Alius ſuccinit,plus fauet ille pari. Hoc dictũ mihi profecto nequaq̃ contume lioſum eſſe duco,ſed haud ſcio an Badius æquo animo laturus ſit Eraſmum ipſi æquari. Alijs liberũ erit de Badio iudicare quod uolũt, ego ſemper illum habui in eorum numero, quorum nec eruditionem,nec ingenium, nec eloquẽtiam poſſis cõtemnere, tametſi non diſſimulo illum longe maiorem fuiſſe futurum, ſi fortuna benignior ocium ac trãquillitatem ſtudiorum ſuppeditaſſet. Verum hæc mihi dicuntur extra cauſam. Mea collatio ut Budæo eſt honorifica,ita nihil detrahit Badio. Et ubi ſunt hic argumẽta Budæi laudibus inuidentis? An liuor impulit me,ut in lucubrationibus meis,nec ludicris,& ut ſpero uicturis,toties tam amanter tam honorifice de illo prædicem, q̃ haud ſcio an quiſq̃ alius,etiã Gallus? Itá ne iſtic uocor in inuidiam æmulationis,quũ Romæ grauem ſuſtinuerim inuidiam quod in epiſtolis meis illum Italis etiam prætulerim? Ego mi Germane talibus uiris,bonas literas non ſolũ prouehentibus induſtria ſua,uerum etiam dignitate ſua ornantibus,gratulari ſoleo nõ inuidere. Nec arbitror ingenium meum ab ullo uitio alienius,q̃ ab inuidentia. Quis unq̃ ſenſit mihi motum ſtomachum, quod quamlibet etiã gregarijs poſtponerer? Vtinã à cæteris omnibus uitijs æque purus ſim. Sumus olim inter nos epiſtolis ueli-

tati,

tati,dictionis exercendæ gratia,erat ille tum propenſior in Iacobum Fabrum,uerum hæc cõflictatiũcula, noſtrã amicitiam cõfirmauit uerius q̃ diremit. Poſt dicebatur neſcio quid ſtomachi in me concepiſſe,q̃d in ſcriptis meis alicubi uidear attingere Gallos. Locus unus eſt in colloquijs, ubi quidam pollicetur ſeſe commonſtraturum unde poſſet quãtum uellet nummorum petere, ſiue cuperet aureos ſiue mallet argenteos,& auidam alterius expectationem fefellit,reſpõdens,ex aſſe Budæi. Quid hoc ioco poſſit eſſe magis innoxium? Aut quid hinc aliud admonetur lector, niſi Budæum ſcripſiſſe diligenter de aſſe? An mihi merito ſuccẽſeat Lazarus Bayfus,ſi quis in colloquijs ita iocetur in hominem pannoſum, ut polliceatur ſe commonſtraturum unde poſſit gratis quodcunque uellet ueſtium genus ſumere, & auenti ſcire unde,reſponderet ex ueſtiario Bayfi? Tantum religionis uix arcanis defertur literis. Cætera quæ ferè ſunt huius generis non repetam, ne fiam prolixior, præſertim quum hac de re per literas Budæo ſatiſfecerim. An non licebit in quemq̃ Gallum aliquid ſub quacunq̃ perſona uel ioco dicere, niſi tota Gallia me reũ agat læſæ maieſtatis? Quot igitur nationes mihi ſuccenſebunt, quarum mores notantur in prouerbijs? Sed q̃ hic animum habuerim ſyncerum,hinc perpẽdito. Nunq̃ crediturus eram Budæũ hoc nomine ſubira-

tum esse,nisi ipse literis ad me datis,pro sua ingenui/
tate stomachum suum esset cõfessus, sed quem facile
uidebatur posuisse. Nec arbitror ullas mortaliũ ami
citias esse tam felices, ut non incidant aliquoties hu/
iusmodi nubeculæ. Atqui tales offensiũculæ frequen
ter amoris integratio est. Deniq; post æditũ Cicero/
nianum,litteris amicorum admonitus sum,ut apolo/
gia quapiam ad Budæum scripta,placarem illius ani
mũ,si quid forte concepisset offensionis,ad quod tuæ
quoq; litteræ me uidentur adhortari. Sed non occur
rebat quid scriberem aut cui scriberem.Nã de Budæi
probitate prudẽtia q; persuasionẽ habebã eiusmodi,
ut citius sperarim ab illo gratiam eius commemora/
tionis,q; offensam metuerim. Cuius animi magnitu
dinem simul & humanitatem, quã tu uere prædicas,
ita mihi uidebar habere perspectam, ut etiã si quid
excidisset mihi minus circumspecte dictum,putarem
aut neglecturum,aut in bonam partem interpretatu
rum. Itaq; quũ mihi animus esset erga illũ qui debet
esse erga ueterem amicum, & in re litteraria coryphæ
um,& locus adeo nihil haberet κίβδηλον,ut paucis uer
bis,plurimum illi laudis tribuerit, qui poteram indu/
cere animum, ut crederem indignari Budæum? Scri
psissem ad amicorum illius quempiam? Quemcunq;
delegissem, carbone notassem illius iudicium uel de
me,uel de Budæo,uel de utroq;:De me quasi sim tam
petulans

petulans ut talem uirũ, quem studiorũ nomine non
possum nõ amare, etiã si mihi cũ illo nulla intercede/
ret amicitia:dicam amplius sed æque uerum,etiãsi de
me parũ honorifice tum sentiret tũ loqueretur, nulla
lacessitus iniuria stilo peterem. De Budæo,qui tã mo
rosum existimarit, ut pro candido officio reponeret
indignationem. De utroq;,qui uel me tam ignarum
mei putarit,ut cum eo uiro de gloria eruditionis con
tendere sustineam, quem semper extra huius ætatis
aleam positum, cum priscis illis heroibus soleã com/
ponere, uel Budæũ tã humilis animi, ut mei similem
sit uel conflictu dignaturus. Nec adhuc mihi quisq;
persuasurus est,Budæum pilo minus amicum esse q;
solet, nisi stomachũ suis literis profiteatur, quod illũ
facturum nõ arbitror. Iam qui tam ineptis uersiculis
nugantur, utrius quæso existimationẽ magis lædũt?
Meám ne an Budæi? Me quidẽ ipse locus absoluit,
itaq; si quid hic est reprehensionis, in Budæũ recidit,
quem uocãt in suspicionem, uel quod nulla de causa
succẽseat amico,uel quod amicis tam ineptis delecte/
tur, nisi forte hæc ludunt illo inscio. Tibi iustior erat
Erasmo succensendi causa mi Brixi,quem multo frigi
dius recenseo q; Budæũ,& tamen abs te nihil omni/
no metui,iam pridem habens perspectam, & iudicij
tui rectitudinem & ingenij suauitatem. Quãtum au/
tem absunt à gratijs & musis,qui te conati sunt dictis

 atro/

cauſam ſuſcepiſti? Atqui peſſimæ quæque cauſæ ad optimos oratores deferri ſolēt, q̄q̄ iſtis bono medico magis opus eſſe ſuſpicor q̄ bono oratore. Quid aliud adferunt iſti, niſi Budæum Badio contulit, & hanc cantionē ſubinde recinunt, Budæum Badio contulit. Et inter hos feruntur eſſe, qui prius amici uidebātur, quic̄ de noſtris ſtudijs non omnino peſſime ſentiebant. Poſteac̄ Budæum Badio contuli, protinus abrogant mihi quicquid ante tribuebāt, ingenium, eruditionem, eloquentiam, iudicium, denic̄ ſenſum etiā communem. Amicitia quæ deſinere potuit nunc̄ uera fuit. Qualem autē coniectādum eſt illā fuiſſe, quæ tam friuolis de cauſis trāſijt in ſimultatem? Imò quæ pro officio rependit contumeliam? Malis nihil opus præter occaſionem, ut habet prouerbiū. At peiores ſunt qui beneuolentiam rapiunt in occaſionem male uolentiæ, & inde moliuntur uindictam, unde decuit gratias agere. Mores iſtos pluſc̄ ſcythicos immane quantū oportet abeſſe à ſtudijs humanioribus. Fuit hoc infelicitatis meæ quod aliquot in me ſtili mucronem ſtrinxerunt. Sed quis eſt unc̄ à me ob cauſam tam friuolam impetitus? Equidem arbitror non temere repertum iri, in cuius libris tot reperias laudata nomina quot in meis. Quin hoc ipſo in libello, quum perſonā inducā ſiniſtri iudicij, quū ipſa res inuitaret, ut de uarietate dictionis diſſerēs, quid in ſingulis placeret

aut diſpliceret indicarem, eam tamen in cenſuris tenui moderationem, ut nullus, ni fallor, æquus ſit in me candorem deſideraturus. Atqui ea res nō mediocriter conducebat ad adoleſcentulorum profectum. Sed malui minus prodeſſe omnibus, c̄ quenquam offendere. Suſpicor iſtic eſſe ἀλλοφύλους quos intra ſinum urit, quod nego quicquam eſſe facūdum, quod nō eſt Chriſtianum. Hi forte ſuo dolori quē fateri pudet, prætexunt Budæum cū Badio collatū, ac diſſidij ſemina iaciunt, quærentes quem protrudāt ad ſui doloris ultionē. Opinor te non latere, quid ſibi uelit hoc ænigma. Naſum habes. Verum aduerſus iſtos omni quod aiunt, pede ſtandum eſt, qui moliuntur ut ſub titulo nomine c̄ bonarum literarum repullulaſcat paganitas. Si ſumus ex animo Chriſtiani, nihil nobis eruditum, elegans aut uenuſtum uideri debet, quod nō ſpiret Chriſtum, quoties materia poſtulat. Noui quoſdam clancularios paganitatis fautores, qui ſi mihi ſtomachum mouerint, accipientur ut digni ſunt. Pro Chriſto ſentient me non eſſe timidulum, in alijs nō grauate cōcedo quibuſlibet. Sanè litteras eas quas ad quendam ſcripſeram, liberius in amici ſinum effundens quod ſentiebam, quanc̄ in illis non arbitror eſſe, quod uel uerum non ſit, uel in Budæi nomen ſit cōtumelioſum, tamen optarim in aliorum manus nō ueniſſe. Vni ſcripſeram, cuius fidem habebam perſpectam,

ctam,nec tuã prudẽtiam arbitrabar egere monitoris, quanc̃p̃ posterioribus litteris admonueram. Tãtum enim abest, ut illas scripserim æditurus, ut à duobus tantũ lectas uoluerim. Quare te rogo ne latius serpat res,tametsi iã audio rumorem huius ficti dissidĩ,ad Christianissimi regis aures dimanasse. Scilicet deerãt illi negocia, nisi & talibus nænijs cogeretur intẽdere. Scribunt,regi sciscitanti quid esset inter nos rei,quendam ex aulicis respondisse, Budæum molestе tulisse, quod in scriptis meis subinde debaccher in Gallos, me contra stomachũ illius sic ulcisci uoluisse,ut illum cum Badio cõmitterem. Quisquis hæc dixit,si modo uerum est quod scribunt,nobis parum erat amicus. Nã & falso falsius est,me usc̃p̃ debacchari in Gallos, etiamsi Budæus uehementi quodam patriæ studio nonnihil hinc uel suspicionis olim uel stomachi conceperat,nec hoc quicquid est rei ad præsentẽ causam attinet. Humanum est etiã inter amicissimos interdũ oriri falsas suspiciones,& offensiuncularum ludibria, quæ mox si propius inspicias euanescũt. Hæc omnia secum defert,humanæ uitæ comœdia. Vt finiã,semper ego iudicaui Budæũ inuidia mea maiorẽ,etiamsi cui possim aut soleam inuidere: ac uirum meliorem iudico,c̃p̃ ut istos ineptos tumultus probet: tum absurdissimum sit,me nũc illi Badiũ anteponere,quem soleo cum Hermolais Barbaris & Plinijs cõmittere.

Nec

Nec arbitrabor iustã rescindendæ amicitiæ causam, sicubi Budæus diuersum sentit atq; ego, modo morem antiquum obtinens à petulãtia cõuiciorum temperet,ac uicissim patiatur me simili temperamẽto patrocinari causæ meæ,si forte mihi uidebor aliquid habere iuris. De senilibus colloquijs næ tu falsissime ludis,Omnino uolunt pueros semper esse pueros, nec aliud c̃p̃ lallare, adeoc̃p̃ tenere illis timẽt,ut malint illos legere Pogij facetias,c̃p̃ ex meis colloquijs de moribus ac pietate aliqd iudicij syncerioris haurire. Vtinam sim uanus augur, sed prospicio futurum,ut exoriatur tragœdia, Lutherana atrocior, ni principũ autoritas quorundã tyrannidem temperet, qui iã nunc gladiatorijs animis & in bonas litteras & in horum cultores affectant uiã,cæci in pugna, in uictoria insolentissimi. Optabã huius miserrimi cõflictus exitum cedere in gloriã Christi,nũc uereor ne quod illi debebatur, ad se rapiant humanæ cupiditates,oriaturc̃p̃ nobis bellum ex uetere nouũ,ex pessimo peius. Verum hic ultra uota, nõ uideo quid possimus. Nec est eruditissime Brixi, quod hæc fatalis tempestas ingenium tuum à prouehẽdis optimis studijs deterreat. Nam quod meis laboribus parum gratã uides hanc ætatem,erit fortasse minus ingrata posteritas:& hoc meis fatis potius imputato, qui uideor habere quiddam cũ Hercule cõmune, ut de re minima magnifice

 loquar,

loquar, qui ſuis laboribus, nihil aliud ſibi pepererit q̄ inuidiam, cui q̄ cum excetra poſtremus erat conflictus multo duriſſimus. Tu benigniore natus ſydere, felicioribus auſpicijs rem geres, noſtro etiā exemplo cautior. Nihil eſt quod metuas ſi te intra muſarum uirecta contineas. Quod utinam à me factum eſſet. Lazarus Bayfius dedit nobis elegātiſſimo libello genera ueſtium, breui daturus uaſa culinaria. In hæc argumenta nihil habent iuris iſti qui cenſuris ſuis nunc τυραννεύουσιν, at politioribus ſtudijs plurimū adferunt & uoluptatis & adiumenti. Valetudinem ſat fortiter fero uires addente Chriſto, qui me docet nō horrere mortem, ſed optare magis. Animo meo uixi ſatis, & ſupra modum uitæ auidus ſit oportet, qui detrectet hoc ſeculum undiq̄ turbulentum relinquere, quū bona ſpes ſit nos in feliciorem aliquam ſedem demigraturos. Sed quid audio uir præclare? Omneś ne bonæ artes meo unius interitu periclitabuntur? Ni mihi perſpectus eſſet animi tui cādor, dicerem hic te ἢ παίζειν ἢ ἐκτοξεύειν. Hic etiā ad pares epiſtolas prouocas, dira minitans ni faciā. Quid enim crudelius minitari poteras q̄ mere laconicas poſt hac epiſtolas? Nō recuſo certamen, ſi modo des parem ualetudinem, par ocium, & hortos Gentiliacos. Nōdum ſcio an tuam æquauerim epiſtolam, numero uerſuum duntaxat, nam elegātia qui poſſim? Adfertur huc rumor, inter monar

monarchas ſartam concordiam. Sed huic eo minus audeo credere, quo uehementius cupio uerum eſſe. Quod ſi fiat, liberet ante ſupremum uitæ diem Galliam reuiſere. Quàm me putas inuidere tibi ſeceſſus iſtos, iſtos amicos, hortos, & ociū lōge feliciſſimum? Ignoſceres liuori meo, ſi ſcias in quo piſtrino uerſer. Septē prælis ſuppeditē oportet quod excudant. Sed cum primis enecat Auguſtinus, quem totum emēdo, quū in Hieronymo præter epiſtolas nihil mihi ſumpſerim. Hoc laboris mihi manibus pedibus q̄ recuſanti obtruſit felicis memoriæ Ioānes Frobenius, quē ſic amabam, ut pernegare nihil poſſem, etiā ſi me in foro iuſſiſſet reſtim ducere. Is operi immortuus eſt, quod uereor ne me quoq̄ abſorbeat, certe minimo minus exoculauit. Nullus uoluminum modus aut finis, toties legenda ac relegenda eadē. Et materiarum obſcuritas, ſermonis argutia, frequēter in longum circumactæ periodi, requirunt attētum lectorem, nec ſinunt uel ad momentum temporis dormitare. Mendarum autē tantum comperi, ut nemo ſit crediturus niſi cōferat, nec hac de re quemq̄ hactenus queſtum eſſe mirū eſt. Nihil addidimus ſcholiorum, niſi ſicubi uocula quepiā annotanda fuit ne rurſus deprauetur. Tantum mendas ſuſtulimus non ſine ueterum præſidio codicū, materias congruentes digeſſimus, notha paucis indicauimus, ea fide ea q̄ religione, quæ tam

pio,tam erudito,tam eloquẽti ecclesiæ propugnatori debetur. Nec uitã adiecimus, quod ab ipso uidemus occupatum.Maluit sui historiographus esse.Prospicimus quidem portum, sed eminus, quod si dabitur huic operi supersse, tum æquum fuerit te non aliter Erasmo gratulari,q̃ solemus diu desperatis amicis è longinqua periculosaq̃ nauigatione prorã in patriũ littus impingentibus.Bene uale. Datũ Basileæ postridie nonas Septemb.An. M. D. XXVIII.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS

D. Io.Gac.conseruo & commilitoni in Christo. S. D.

ET CREBRIS & talium uirorum literis huc perscribitur,ut omnino uanum credi non possit, te non solum in conuiuijs, in cõciliabulis & priuatis colloquijs, uerum etiã in publicis ac sacris concionibus,subinde proscindere nomen meum apud imperitam ac promiscuam multitudinem. Scio non esse temere fidẽ habendam rumoribus,præsertim ea nunciãtibus,quæ faciunt ad dirimendam fratrũ concordiam, uerũ quoniam hoc idẽ nũciatur ab ordinis tui sodalibus & apud Hispanos,& apud Polonos,& apud Vngaros,& apud Anglos,& apud Gallos actitari cœptum,quod isthic facere

cere diceris, satis liquet rem de cõposito geri. Verum hactenus illis nusq̃ satis prospere successit, dũ ubiq̃ inueniunt præpotentes & gratos homines,qui meis fauent studijs, quosq̃ mihi non ambitione, sed meis sudoribus,quos iam olim prouehendis linguis,ac politioribus litteris instaurandis,ac restituendis illustriũ autorum monimentis impendo,demerui.Quanq̃ hi prædicant sese fauorem hunc nõ tam tribuere personæ q̃ ipsis studijs ac pietati Christianæ.Quod si pergãt isti, uereor ne illis infelicius res cedat,q̃ ipse uellẽ, in quem uidẽtur conspirasse.Nam frequenter accidit ijs qui contemnunt hostem, ut dum fragili quærunt illidere dentem,infringant solido. Quanq̃ me sibi fingunt hostem,non habent. Etenim quũ omnibus pietatis cultoribus impense faueo, tum uestro sodalitio, quod cæteris uel collapsis ferè, uel ad mundum degenerantibus, apud uos purioris religionis uestigia resi dere uideantur, semper unice faui: cuius rei testes esse possunt quotquot istius ordinis mecum egere cõsuetudinem,quorum nullus opinor prodibit,qui dicet se uerbo læsum ab Erasmo,erunt aliquot qui non negabunt se meis officiolis aut etiam pecuniolis adiutos, quanq̃ hæc commemorare ineptum est, quæ pietati tribuuntur non hominibus.Porrò uiros in quibus relucet syncera pietas, etiam si uelim,odisse nõ possum, hoc ingenio natus sum.Nec unq̃ fui tam inciuilis,ut

ob

ob paucorũ improbitatẽ, deteſtarer ullum ordinem. Ea rerum humanarũ natura eſt, ut nihil ſit ab omni parte beatum. Arca Noë non habebat niſi octo homines, & tamen ex his unus extitit improbus. Quid Abrahæ familia ſanctius? Hinc eĳciẽ puer Iſmahel una cum matre. Iſaac duos habuit gemellos: Horum alter placuit, alter diſplicuit deo. Quid domo Iacob religioſius? & hæc habuit qui non uerereturincestare patris concubinam. Dauidis prophetæ pietas nõ effugit hãc infelicitatem, cuius alter filius ſororem inceſto coitu conſtuprauit, alter impia ſeditione patris exitiũ molitus eſt. Queritur & Paulus apoſtolus ſibi negocium exhiberi à falſis fratribus. Poſtremo dominus ipſe ex electo illo raroq; numero, proditorem unum perpeſſus eſt. Itaq; quũ ueſter ordo tot habeat, ne dicam hominũ, ſed monaſteriorũ milia, quid iniquius eo, qui propter aliquot ſecus q̃ oportet agentes, uniuerſum execretur ordinẽ, in quo tam multi extiterunt & pietate & eruditione merito celebres? Quin & te accipio mi G. præclaris dotibus inſtructũ ad prædicationem uerbi dei, nec moribus præditũ inciuilibus, ut ſuſpicer te q̃d facis, alieno facere impulſu, potiuſq̃ ex animo tuo. Atq; hæc res præcipue fecit, ut ad te ſcriberem, quẽ ſi talẽ iudicaſſem, quales noui nonnullos, non ſumpſiſſem hoc operæ, non ſolum inaniter laboraturus, uerum etiã exacerbaturus malũ inſanabile.

Quin

Quin etiã optarim omnia uana eſſe, quæ uel rumor, uel amicorũ litteræ huc pertulerũt. Quod ſi forte res ſecus habet q̃ accepi, putabis hæc tibi ſcripta nõ eſſe. Sin uerus rumor huc aduolauit, tamen quoniã interpretari libet hæc abs te potius alieno fieri inſtinctu, q̃ ex animi tui malicia, ſic tẽperabimus admonitionem, ut non minus pietatis & ordinis ueſtri rem q̃ noſtræ famæ uideamur agere. Tuæ uero prudentiæ fuerit uir egregie, boni conſulere, ſi ſimplicius ac liberius quod cauſa poſtulat eloquemur. Primum enim illud tecum perpendito mi frater, q̃ ſit alienum à moribus & inſtituto modeſtiſſimi patris ueſtri Frãciſci, tanta linguæ intemperãtia publice ſimul ac priuatim abuti in proximi nomen, de quo nõ ſolum nullus adhuc pronunciauit in ſiniſtram partem, uerum etiã quem orbis & eccleſiæ principes honorificẽtiſſimis teſtimonĳs ornarunt, idq; publicitus. Ea res miror ſi uos latet, quũ extent Cæſaris epiſtolæ, quum extent Leonis decimi & Adriani ſexti, ad me diplomata typis excuſa. Certe cõplures qui me norunt, ſciũt, quia pleriq; uiderũt, quantos habeam epiſtolarum aceruos, & ab hoc Põtifice Clemente, à multis Cardinalibus, ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Regibus, Ducibus, & eruditiſſimis uiris, multo aliud loquẽtium q̃ tu de me diceris prædicare. Ac ne quis dicat leuius eſſe uerborum teſtimonium, ampliſſimis muneribus ultro delatis, confirmant ſuã

e de me

de me ſententiam. Quarum rerum ſi uel portionem aliquã hic commemorẽ, uidebor Thraſonẽ quẽpiam aut Pyrgopolinicen è comœdia referre, etiamſi longe fuerit infra uerum mea prædicatio. Sed hæc miſſa faciamus, quo tãdem merito meo iſta faciunt? An quia rem Chriſtianam tantis & uigiliȝs & impendiȝs meis adiuuare conor pro uiribus, uel potius ſupra uires? Idem ago quod tu, licet alia ratione. Sunt enim uaria dona ſpiritus, ſunt & uariæ functiones, licet eodẽ ſpectent omnia. Qui pelles caprinas conferebant, qui rudera comportabant ſternendo fundamento, iuuabãt ſtructuram templi dominici, quẽadmodum & hi qui aurum & lapides precioſos dabant. Tua pietas unde haurit quæ docet populum? Nónne potiſſimum ex euangelicis & apoſtolicis litteris, & ex ſacroſanctis eccleſiæ doctoribus? Nónne diuum Hieronymum miſere deprauatum uobis reſtituí? Nónne diuum Ambroſium multo q̃ antea caſtigatiorem dedi? Nónne ſanctum Hilarium ſummis laboribus emaculatũ uobis tradidi? Nónne Irenæũ, & Arnobium extinctos luci reddidi? Quod idem nunc molimur in omnibus Auguſtini lucubrationibus, in quibus tãtum comperimus mẽdarum, ut nemo facile crediturus ſit. Nec arbitror temere poſſe quenq̃ inueniri, qui tædium hoc fuerit deuoraturus. Nónne multa Chryſoſtomi, & Athanaſij ueſtris auribus donauimus? Poſtremo, nónne

nónne fontẽ omnis Chriſtianæ philoſophiæ nouũ teſtamẽtũ cõtulimus, emaculauimus, & illuſtrauimus? Quantũ illic mẽdarũ abſterſimus, quantũ nodorũ diſſoluimus, quantum caliginis diſpulimus? Iã quis æſtimet, quãtis ſudoribus ac uigiliȝs, quãto ualetudinis diſpẽdio hæc mihi cõſtẽt? Quanq̃ hic quicq̃d eſt laudis, fateor illi deberi, ſine q̃ nihil efficit humana induſtria. Agnoſcunt beneficij magnitudinẽ qui in his ſerio uerſantur, qui toto pectore in ſacrarũ litterarũ fontibus, & orthodoxorum pratis deliciantur, non plebeij quilibet, ſed Epiſcopi, ſed Cardinales, ſed celebres Theologiæ doctores, deniq; ij qui libris æditis, fortiter ac feliciter depugnant pro domo dei. Et arbitror ſanè te, quod præcipue te dignum eſt facere. Quid enim tibi, qui te mortuum huic mũdo profiteris, charius eſſe debet iȝs libris, qui uobis inſpirãt Chriſti ſpiritũ? Quod ſi eſt, qui potes odiſſe illũ, qui tanto ſtudio tibi parat hanc utilitatem? Sin hæc tibi cordi nõ ſunt, nimirum res ipſa clamitat, te nõ pietatis amore, ſed affectu carnis ad iſtam commoueri petulantiam. Si quis dono mittat corbem piſcium, aut ueſtẽ, aut caniſtrum onuſtum panibus, aut caſeos aliquot, adamatur, in cœlũ tollitur, & qui tanto meliora donat, omni genere conuiciorũ inceſſitur? Sed donemus uos hæc cõtemnere, quæ nemo uere pius contemnit, certe non oportebat eam utilitatem aliȝs inuidere. Recte monet Sapiens,

ne quem uetemus benefacere, quin potius conemur & ipsi benefacere si possumus. Nulli benefacere fortassis ignauiæ sit, benefacere conāti, negociū facessere, liuoris: at alieni beneficij fructum tam multis interci/pere uelle, obsecro te quo nomine donabimus? An nō deploratæ cuiusdā maliciæ est, nec ipsum cuiq̄ uelle prodesse, nec alium ut prosit sinere, nec pati, ut ad aui dam multitudinem fructus perueniat pietatis, quum contra conueniat & populo gratulari, & laborantem si non opera, certe applausu iuuare? Ego tibi tuum talentum in domini lucrum deponēti syncere faueo, nec faueo solum, uerum etiam opitulor, quur mihi idem agēti obstrepitur? Dices in libris meis esse quæ discrepant à rectitudine fidei. Hoc nullus adhuc docere potuit, quum alicq̄ multi conati sint. Sed fingamus esse, quid magni si mihi accidisset, quod accidit Cypriano, Hilario, Hieronymo & Augustino? Tot iam annis libri mei uersantur in manibus hominum, quur interea nemo uestrum admonuit, nemo docuit? Nunc post tātum temporis subito clamatis apud imperitam plebē, quæ nec intelligit hæc, nec ut sciat, refert. Dices me monitum ab alijs. Verū, sed ab hominibus sycophanticis & rei Theologicæ prorsus imperitis. Leum sua cohibuit Anglia, tā infeliciter se gesserat. Stunicam sua improbauit Hispania, Roma minis etiam cohercuit. Nuper Beda sic se gessit, ut nemo sanus nō habeat hominem

minem pro furioso. Quanq̄ nō erat hoc monere, sed inuectiuam scribere. His igitur quū & Cardinalium, & Pontificum & Cæsaris & Regum autoritas impo/suerit silentium, quanto magis dānant istas apud populum uociferationes, unde præter simultates, odia, seditiones ac tumultus quid potest oriri? Illi tolerabilius insaniebant, nec tolerati sunt ab ecclesiæ proceribus, & uos nouum exemplum inducitis, sic apud multitudinem promiscuam in quemlibet debacchandi? Quoties ibi dictus Erasmus hæreticus, quoties Luther magister & Luthero nocētior, quoties alijs cōuicijs nominatim denotatus? Et hoc tā improbum exemplum à uobis oritur, qui summā profitemini tolerantiam, summumq̄ mundi contemptum. Euangelicum est benedicere maledicentibus, & uos benemerētibus & maledicitis & malefacitis? Dum enim uos ista clamatis in Erasmum, ille nō desinit uobis suppeditare, q̄d omnibus caseis & ouis melius est. Si iudices estis, quur nō legitimo more causam cognoscitis, ac deinde pronunciatis? Si non estis, unde istud exemplum debacchādi publicitus in famā alienam? Si quis scurra passim in hominē nō improbum deblateraret, ebriū, lurconem, ganeonem, furem, lenonē appellaret, nemo ferret impotētem linguæ licentiā, & uobis apostolicis uiris ludus uidetur quemlibet in publicis etiā concionibus hæreticū & hæresiarcham appellare? Si agnoscitis

scitis Romani pōtificis autoritatē in exemptionibus, priuilegijs & indultis quæ faciunt in rem uestrā, quur hic eum aperte cōtemnitis, illi præiudicantes, cuius iudicio mea semper submisi, imò quur eū audetis damnare publice, quem ille publice laudat? An quoties uestris commodis seruit Pontificum autoritas, sacrosancta est, & plumbi pondus habet, ubi secus est, ibi leuior est tipula? Et ubi interim ista mirabilis obediētia, quam semper habetis in ore, si quoties cōmodum est, & Pontificum & Episcoporum & Principum ædictis oppeditis? Atque hic scilicet recinitur nobis uox apostolica, Oportet deo obedire magis q̄ hominibus, quanq̄ hæc uox iam Lutheranorum est non minus q̄ uestra. Sed ubi nam hoc præcepit deus, ut homines contemptis Principum ædictis ac iussis, seditiosis clamoribus debacchentur in bene merentem de religione: hoc si nimium est, certe in nihil commeritum: si hoc quoq; nimium est, saltem in eum, in cuius libris nullam adhuc sententiā damnauit autoritas ecclesiæ? Sed insunt quædā, quorum occasione decedit aliquid populari de uobis existimationi. Dicā itaq; summā eorum quæ libris meis semper egi. Fortiter in bella uociferor, quibus tot iā annis uidemus cōcuti ditionem Christianam penè totam. Theologiam nimium ad sophisticas argutias delapsam, ad fontes ac priscam simplicitatē reuocare conatus sum: sacros ecclesiæ doctores

ctores, unde uiuidius hauriuntur, quæ quidam decerpta legunt ne dicam concerpta, suo nitori reddere studuimus: bonas litteras, ante propemodum paganas, docui sonare Christum: linguis reflorescētibus adfui, pro mea quidem uirili. Præpostera de rebus plerisq; mortalium iudicia traduxi. Ad puriorem Christianismum, orbem ceremonijs penè Iudaicis indormiētem expergefeci, sic tamē ut ecclesiæ ceremonias nusq; improbarim, sed quid potius sit ostēderim. Perlongum autem sit uir optime declarare q̄ hæc fuerint necessaria. Et tamē hoc ea moderatione factum est à nobis, ut nec ordinem ullum, nec ullius nomen aut famam læserim, nec factionem ullam cōtraxerim, aut seditionem excitarim. Adeo, ut nisi quidā pseudomonachi Dominicani & Carmelitæ, Nam tuus ordo tum erat mihi propitius, clamassent apud populum, extitisse qui corrigeret Magnificat, precationem Dominicam & euangelium Ioannis, alia q̄ non minus indocta, q̄ seditiosa, ne musca quidē tumultus fuisset. Sed aiunt quidam Lutheranum hoc incendium ex meis literis ortum: Prorsus hoc aiunt quidam, sed impudētissime mentientes, quū hactenus nemo fuerit qui uel unum dogmation improbatum proferre possit, quod mihi sit cum Luthero cōmune. Postremo res ipsa declarat, q̄ impudēter & illud mētiti fuernit, me cum Luthero colludere. Sic nimirum colludebat Hector cū Achille.

Iudicabis

Iudicabis hoc ipſe ſi legeris meam Diatribam,& huic ſic reſpondẽtem Lutherum, ut in neminem ſcripſerit hoſtilius, & rurſus duos Hyperaſpiſtæ mei libros illi reſpondẽtes. Iã nõ me fugit eſſe, qui prædicent meas lucubrationes monachorũ ordinibus derogare. Ego ſanè puto rem Chriſtianam nihilo deterius habitu/ram,ſi nõ eſſent tot cultuũ, ciborũ, ac titulorum diſcri mina,præſertim quum monachiſmus propemodum eò prolapſus ſit,ut ſi externa detrahas,ferè deteriores ſint cæteris. Bona uero pars monaſteriorũ,adeo nul/lam habent religionis diſciplinam,ut nuſq; minus li/ceat religioſam uitam agere: quanq; hoc à me nuſq; eſt ſcriptum antehac,& quid referebat ſcribere, quod nemo neſcit? Tantum admoneo,quibus in rebus ſita ſit uera religio, taxans quoſdam,qui blandiciis, terri/culamentis aliis q; non probandis artibus rudem ac ſimplicem,& ſui quoq; nedum religionis ignarã æta/tem pelliciunt in naſſam,unde ſe nõ poſſint explicare, peſſime conſulentes & adoleſcentibus, & ordini ſuo, cui magis expediebat habere paucos ſynceros, q; mul tos qualeſcunq;. Hæc ſi nõ fiunt,nõ prorſus inutiliter monui ne fierent. Sin mundus horũ exemplorũ,quo rum aliquot referre me pudeat, plenus eſt, fatebitur tua prudentia me non ſolum utiliter uerum etiam ne ceſſario monuiſſe. Non ille damnat matrimoniũ qui monet ne quis temere contrahat matrimonium, imò potius

potius cõſulit matrimonij dignitati. Sed alicubi taxo quoſdam,qui quum perdite uiuant,ſibi perſuadent ſe tutos fore ab unguibus cacodæmonum, ſi ueſte Fran ciſcana tecti deferãtur in ſepulchrũ. Hoc malo ſi nulli laborant,fruſtra monui: ſin innumeris exemplis com pertum eſt, hanc ſuperſtitionem non tantum habere ſimplices plurimos, uerum etiam ab ordinis tui ſoda libus ali foueriq;, nõ cõueniebat hoc à quoq; inculcari populo magis q; à tui ſimilibus. Hæc enim uos red/dunt inuiſos doctis,cordatis uereq; piis uiris,utcunq; conducunt temporario quæſtui. Quid? An protinus collabetur ordo ueſter, ſi Chriſtianis perſuaſum fue/rit,ueſtem Frãciſcanam minimum opis allaturã poſt hanc uitã, niſi quis Franciſci ſanctimoniam fuerit imi tatus? Dices quid opus erat hæc admonere? Imò quid opus erat hæc fieri? Quid opus erat huiuſmodi facta tueri? Quod ſi tã exacte ſartam tectam haberi uultis omnium ſodalium famam, quur tanta licentia debacchamini nominatim in nomẽ ac famã alienam, non de ueſte calumniãtes,ſed hæreſeos crimen impin gentes, quo nullum eſt atrocius, idq; falſo, quum de ueſte nemo mortalium neſciat, ut quod à uobis fiat etiam ambitioſe? Quin hoc penè peculiare eſt iſtius ordinis pleriſq; ſodalibus,cynica petulantia in epiſco pos,in ſacerdotes,in paſtores,in abbates,in poëtas & thetores detonare: nũc ijdem tribus uerbis attactam

Franciſcanam ueſtem, ferre non poteſtis: præſertim quum in tot Franciſcanorum populis nullius nomen ædatur? Quod ſi tam tenere metuitis famæ ueſtræ, illud curandum erat, ne per ueſtros ſodales tot argumenta darentur fabulis populi, talibus ut aliquoties non ſine rubore audiam. Ex his adeo nihil unq̃ prodidi, quum multas habeã compertiſſimas, ut Lutherum & alios aliquot iſta meditantes in uulgus ſpargere dictis ac ſcriptis compeſcuerim. Pro hac mea ciuilitate mi G. uide quàm malã non nulli rependant gratiam, inter quos te numerãt quidã. Fortaſſis hoc mandatum eſt à patribus, ut hinc etiã obedientiæ laudem ſperes. Quid ſi patres iniungãt, ut mihi porrigeres uenenũ? Faceres? Atqui quod quidã faciunt, aliquanto eſt ſceleratius. Venenum unius corpus interimit, iſtæ obtrectationes tot milium animos inficiũt. Sed finge me male meritum de tui ſodalitij nonnullis, nulla eſt ratio uindicandi, niſi mẽdacibus obtrectationibus, & famoſis cõcionibus? Nullæ ſunt leges in orbe, nulli iudices, nulli cognitores? Iſta uindicandi ratio militaris ac ſeditioſa eſt, non Franciſcana. Omnes uociferemur ſimul, clamoribus obruemus inſontem. Atqui tã ſancto tumultu Chriſtus oppreſſus eſt. An hoc exẽplum uobis placet? Si placet, placeat & euentus, Qui gladiũ ſumit, gladio feritur. Qui uim infert, uim inuitat. Nõdum dormiũt omnes ruſtici, quanq̃ iſtis factis etiam princi-

principibus, Epiſcopis, & orthodoxis inuiſi reddimini, ſi tacita bonorum iudicia contemnitis. Hoc quum per ſe ſit indigniſſimum iſta profeſſione, lõge tamen ſceleratius eſt, ad tale facinus abuti, euãgelij loci, Franciſcani nominis ac ueſtis autoritate, & populi Chriſtiani religioſa patientia. Scis ipſe nullã eſſe ſacratiorẽ functionẽ, q̃ euãgelij prædicãdi, nec ignoras quanta ei loco debeatur religio: nec te clam eſt quid illic expectet populus. Ad hoc munus, ad eũ locum nemo deberet accedere, niſi intentiſſima deprecatione præparatus, ac uelut afflatus numine. Quale eſt autẽ ex eo loco ſcurriliter inceſſere famam alterius, idq̃ manifeſtis mendacijs? Quod ſi nũc ut olim mos eſſet, populum ſibilis ſupploſionibusq̃ ſignificare ſi quid parum placeat, uereor ne non ſibilis tantum ſed & ſaxis iſta reijcerentur. Hoc ſilentium, hanc patientiam pia multitudo tribuit euangelij maieſtati, & honori loci, & tu rebus ſacratiſſimis ad rem ſceleratiſſimam abuteris? Quod perinde eſt, ac ſi quis per euchariſtiã miniſtret aconitũ. Eſt & iſtius nominis & cultus magna apud quoſdam reuerentia, quibus oportuit magis ad populi commodum abuti, q̃ ad impiam calumniam. Quid autem eſt, quod captatur iſtis clamoribus? Vt populus male ſentiat de Eraſmo? Finge id eſſe perſuaſum. An ilico bene ſentiet de uobis omnibus, ſi de me uno male ſenſerit? Imò uereor optime G. ne uoci-

ſerationibus & obtrectationibus huiuſmodi,cũ magna ueſtri nominis inuidia meum nomẽ reddatis illuſtrius. Id quod regionibus aliq̃t uidemus uſu ueniſſe, licet interim me tacẽte. Si uultis odium excitatum ſopire, redeundum uobis eſt ad eam ſynceritatem, qua uobis primum bonorum fauorem cõciliaſtis. Iſta uia mi chariſſime G. magis traducitis ordinem ueſtrum q̃ ego poſſim, quamlibet cruentum in uos ſtringens calamum, quod tamen à me nunq̃ eſt futurum. Hoc metu uos libero, uerum quid alij facturi ſint, mihi nõ eſt in manu. Ea ueſtra cura eſt. Iam qui fit illud, ut quum frequẽtius ac liberius meæ lucubrationes attingant, principes, Reges, Cæſares, Pontifices, Card. Epiſcopos, horum neminem habeam infenſum, uos ſoli, quos oportebat eſſe tolerãtiſſimos, iſtiuſmodi tumultus mouetis? An uos ſoli nõ egetis admonitore? An ſoli uacatis omni uitio? An ueſtram tantum famam oportet illibatam haberi? Vtinã id primum à uobis præſtetur. Porrò ut imperitis perſuadeatis ea quæ de me prædicantur, quid dicẽt eruditi, qui in meis uerſati lucubrationibus mox deprehendunt impudẽtiam calumniæ? Sed fortaſſe pollicemini uobis futurum, ut iſtis clamoribus etiã ſcripta mea conſopiatis. Vereor ne res uobis in diuerſum cedat. Audio iã nunc bibliopolas iactitantes, ſe ueſtris clamoribus debere, quod auidius emũtur libri mei, q̃ ſoliti ſunt. Age fingamus uobis

uobis licere quod libet, fingamus neminẽ exoriri, qui meam tueatur innocentiã, ueſtram retũdat impudentiam, an nõ metuitis illum ultorẽ, cuius manus nemo mortalium effugit? An creditis ſtatim apud illũ ſanctum habẽdum, quod uobis ſanctum eſſe ueſtra percupiditas? Lõge alia ſunt, mihi crede, dei iudicia q̃ hominum. Quod ſi labor eorum qui ſynceriores litteras ac puriorem Theologiam cum uera pietate conantur reſtituere, uideatur ueſtris officere commodis, quæſo ut tua pietas expendat, unde nã id accidat. Etenim quũ apoſtolicam uitam profiteamini, qui fieri poteſt, ut non feratis ad apoſtolicam ſimplicitatem inuitantem? Quod ſi quid humanum hic eſt quod offendit, par eſt o uir benedicte, ut humana cedant diuinis. Iam illud ſecum reputet tua prudentia, num hæc ſatis in tempore moliamini. Vides quantis diſſidijs undiq̃ mũdus tumultuetur. Quid opus erat nouos tumltus ueteribus addere, fortaſſis in grauius erupturos incẽdium q̃ creditis? Quoties uidimus ex leuiſſimis initijs exoriri tẽpeſtates inſedabiles? Luthe ranũ incendiũ, q̃ friuolis initijs huc uſq̃ progreſſum eſt? Primum iocus erat, & ludus. Reſcripſit Prieras, mox monachorũ clamores ad populũ, articuli, bullæ, ædicta. Quid non? Quantũ adhuc profectum ſit neſcio. Quanto igitur cõſultius non addere malũ malo, ſed potius id operã dare, ut eccleſia priſtinæ tranquil

litati restituatur, etiã si quid esset in meis non indignũ correctione. Est suum cuiq; rei tẽpus. Vos fortasse creditis Lutherũ fractũ prostratumq;. Vtinã esset extincta lues. Confossus est ædictis & articulis, fateor, sed regnat adhuc in animis hominũ, qbus illũ præcipue commendauit quorundã monachorum improbitas. Nec me fugerũt quorundã uestrorum uoces, cõfecto Luthero, adoriemur Erasmũ. Cõficite igitur Lutherũ, actum si uidetur adoriamini Erasmũ. Verum quum impune grassaretur Lutherus, uos mussabatis, cochlearum more intra testam latitãtes. Ego iussu Cæsaris, Pontificis & aliorũ principum cũ Luthero manũ conserui, idq; in ea regione in cuius confinio regnat maxime. Vbi meo Marte, meo periculo, meis uulneribus hostis redditus est fractior, uos subito prosiliẽtes à tergo aggredimini dimicantẽ, obsecro quid agẽtes? An inuidetis ecclesiæ catholicæ suã uictoriam? An hosti uultis ferre suppetias? Quid enim aliud facitis? Verbis sæuitis in hostẽ ecclesiæ Lutherũ, & factis hoc illi præstatis, qd socijs solent socijs in bello. Etenim si quo peccato commeruissem odium uestrum, tamen priuatũ affectũ uincere debuerat publicæ salutis respectus, mihiq; nõ segniter pro castris ecclesiæ dimicanti, certe temporariũ præbere fauorẽ par erat. Sũt quibus hoc unũ est studium, ex omnibus meis lucubrationibus, quas multas, sed aliqt iuuenis, rebusq; pacatis, aliqt

non

non serio scripsi, colligere, quæ detorqueãt ad suspitionem Lutheranorũ dogmatũ. Quanq; hoc ipsum faciunt impudenter calũniose. Cæterũ quanto cõsultius erat ea decerpere quæ declararent me dissentire à Lutheri paradoxis, si modo fauent ex animo causæ pontificis? Hæc quo minus cõsyderẽt nõnulli, obstãt affectus humani. Itaq; te moneo G. frater in dño, ut monitus uicissim & tuos moneas sodales, ne confidant istiusmodi syncretismo, ne cõdensatis phalãgibus, ne uociferationibus indecoris, ne clãcularijs obtrectationibus, uix homine dignis, ne simplicitati mulierculariũ ac stultitiæ populi, sed in dño, ueraq; pietate figant spei suæ ancorã. Si fauetis ordini uestro, synceris moribus optime id perficietis, me certe applausore. Si fauetis ecclesiæ trãquillitati, habetis me cõmilitonem, si nõ fortissimũ, certe fidelẽ. Omissis priuatis affectibus Christi negociũ pariter agamus, & si ratio diuersa, si facultas impar est, sit tñ idẽ scopus. Quod si decretũ est quà cœpistis pergere, mihi nihil poterit imputari. Hæc epistola me liberabit apud summũ iudicem. Repetã, quod initio dixi, si rumor uanus huc aduolauit, ne putes hæc tibi scribi, sed alijs, quos certum habeo talia perpetrare. Dominus omnibus nobis impartiatur spiritum suum. Amen.

ORNATISSIME Præsul. Quirinus meus reddidit abs te duas epistolas, quarũ altera recinis ueterem cantionem de querelis quorundam Theologorum, quam admonitionem scito mihi longe gratissimam fuisse, quippe quam perspiciã ab amantissimo pectore proficisci. Quod me tua pietas hortatur ad exemplũ Augustini, id iam pridem ultro facio, delẽs aut corrigens quicquid deprehendero corrigendum, quum Augustinus post æditas retractationes multa reliquerit simpliciter hæretica, si quis ea nũc uelit tueri. Et sunt tam uaria mortalium iudicia, ut uix inuenias tres eiusdem sententiæ: quosdam autem uideas tam peruerso iudicio, ut si illos in consilium adhibeam, optima quæq; & ad pietatem in primis conducibilia sim deleturus. Ad articulos, quos ab illis obiici solitos recensęs, possem simpliciter respõdere, nihil esse tale in Colloquijs meis, nec ullos pueros fieri deteriores illorũ lectione. Sed ista sunt commenta quorundam, quos ad nihil aliud dicas natos q̃ ad calumniãdum. Quod tamen in ordinis contumeliam rapi nolim. Sed in rebus humanis nullum est corpus, quod non suas habeat uomicas. Hactenus exercuerunt tyrannidem in ætatem rudem ac simplices idiotas, nũc hoc urit eos, quod iuuentus aliqd discit, quod ipsi nesciunt. Hinc illæ lachrymæ. In Colloquijs meis adeo nihil est obscœnum aut lasciuum,

lasciuum, ut caste tractent etiã illa quæ natura lasciua sunt uelut in colloquio proci & puellæ, scorti & adolescentis: & hoc arbitror ubiq; à me diligentissime cautum, ne quid tenera pubes è scriptis meis hauriat lasciuiæ. De peregrinationibus obsecro quid doceo, nisi ut in his superstitionem fugiant homines, qua mundus undiq; plenus erat usq; ad insaniã, maiore lucro æditorum q̃ pietatis? Confessionẽ approbãt colloquia, frementibus ijs qui se uenditant euãgelij titulo. Ridetur ibi quidam miles, sic adiens confessionem, ut ferè solet uulgus: nec aliud illos offendit, nisi quod alicubi dico confessionem quæ fit deo præcipuam esse, & subindicat adolescens hanc ab hominibus institutã, non tamen asseuerat. Loquor autem de hac forma confessionis quæ nunc in usu est, quam nusq̃ non probo. Eam à Christo institutam fuisse nec est ueriśimile, nec quisq̃ adhuc docere potuit: Si quis doceat, me quidẽ habiturus est applausorem. Quam tamen interim ita doceo seruãdam, quasi Christus instituerit. In libello De modo confitendi, non hoc ago ne cõfiteamur, sed ut utiliter confiteamur. Id efficere non poteram, nisi propositis quibusdam incommodis, quæ nõ asscribo confessioni, sed uitio confitentium & audiẽtium. Iam quum totus mũdus plenus sit fabularum de flagicijs ac sceleribus quæ sub umbra cõfessionis admittũtur, indignantur mihi quod moderatissime quædam atti

gerim,nec reputant,q̄ multa pudore Christiano silue rim eius generis,ut uel sola commemoratio posset lectoris animum inficere. Verum monachi complures non amore pietatis urgēt hanc confessionē, sed quod hinc auferāt luculentam messem,dum regnant in ædibus diuitum quorum secreta norunt,dum adsunt morientibus,dum arrodūt testamenta. Consyderent lernam malorum,quæ hactenus orta est ex confessionibus, & mirari desinēt,si quid admonui de recte cōfitēdo. Consyderent itē quanta fuerit superstitio in cultu diuorum, quanta pestis ex ceremonijs humanis,& uidebunt nostrā admonitionem maxime necessariam fuisse. Gratissimus diuis cultus est,si quis illorum uitā imitetur,tāetsi à nullo certius exemplum uitæ petitur, q̄ ab ipso Christo. Ad uerū cultum prouoco. Sed superstitiosus cultus istis erat utilior,& hinc uociferatio, Ecclesiasticas ceremonias,nec ibi nec usq̄ damno, sed quomodo illis utendum sit indico,& ad meliora prouoco. Hoc idem si docet Christus, si beatus Paulus,si pium & sanctum est, quur in me clamatur? At quidā clamant, quis nesciebat in ceremonijs non esse constituendum finem pietatis? Imò quis nescit totam religionem hactenus fuisse redactam ad ceremonias,ac uigorem illum euangelicum fuisse per eas propemodum antiquatum? Verum id erat utilius ad quorundam dignitatem & quæstū. Sed Christus aliud sitit

lucrum,

lucrum,cuius dignitatis oportet primā esse rationem. Cōmendent se uera pietate,quæ si absit,ceremoniarū pompa, quid aliud est, q̄ hypocrisis? De delectu ciborum abunde respondi Natali Bedæ, si quid pudoris esset in homine. Nullus est uere pius, quin si rem attente consyderet, mallet in his rebus obligationem uersam in exhortationē: ut nunc sunt tempora, minus esset laqueorum, & plus esset ex animo ieiunantium, maxime si in uita sacerdotū reluceret exemplum abstinentiæ temperātiæq̄ Christianæ. In Gallia,ut scribunt,duo periclitantur,nō ob aliud,nisi quia duobus quadragesimæ diebus comederūt carnes,coacti morbo. Vide quid faciunt ceremoniæ, nimirum ut ob hominum constitutiones uiolemus præcepta dei, leuius ducentes parricidium,q̄ præterire constitutionē Pontificum: quanq̄ hoc nullus pōtifex uetuit,ne ægrotus ea sumat quæ postulat ualetudo. Immodicam festorum multitudinem nō ego solus improbo,præsertim quum hodie nullis diebus plus peccetur q̄ festis. Moderata festa ualde ꝓbo,sed ea uelim sacris rebus ,quibus inuenta sunt, nō uoluptatibus & sceleribus dari. Non pendet hodie religio Christianorū à miraculis, nec obscurum est quot opiniones inuectæ sint in orbem per homines ad suum quæstum callidos,confictorum miraculorum præsidio. Quæ sunt in sacris literis tanto firmius credemus, si non quibuslibet ho-

minum fabulis crediderimus. Atque adeo iam nunc exoriuntur qui uetus artificium reuocãt. Alibi uisum est spectrum, quod à presbytero flagitaret absolutionem, quia citra confessionem decesserat, non quod deesset uoluntas, sed quod negata fuisset sacerdotis copia. Quid hic discimus, nisi absolui posse, qui non confitentur, & post hanc uitam opus esse presbytero, ijs quibus uolentibus defuit cõfitendi facultas? Alibi parochus quidam sub diem parasceues clàm immisit in cœmiterium uiuos cancros, affixis ad latus cereolis ardentibus. Qui quum reperent inter sepulcra, uisum est noctu terribile spectaculum, nec quisq; ausus est accedere propius. Hinc rumor atrox. Consternatis omnibus, parochus è suggesto docet populũ, has esse defunctorum animas, quæ missis & eleemosynis flagitarẽt à cruciatu liberari. Fucus ita proditus est, repti sunt tandem unus & alter cancer inter rudera, facem extinctam gestantes, quos parochus nõ recollegerat. Idem aliud machinatus est. Cõuiuebat illi neptis, mulier bene nummata. In huius cubiculum profunda nocte solet irrepere, lineo inuolucro umbram mentiens: Emittebat uoces ambiguas, sperans fore ut mulier accerseret exorcistam, aut ipsa loqueretur. Verum illa nimis masculo animo, clàm rogauit cognatũ quẽdam, ut unam noctem secum esset tectus in cubiculo. Ille uero fuste armatus pro exorcismis, ac probe potus, quo

quo minus expauesceret, occulitur in lecto. Adest spectrum solito more nescio qd triste mugiens. Excitatur exorcista. Prosilit nõdum sobrius, aggreditur. Ibi spectrum uoce gestuq; deterrere parat. At ebrius ille, si tu es, inqt, diabolus, ego sum mater illius, & correptũ impostorem fuste dolat, occisurus, ni mutata uoce clamasset, parce, non sum anima, sed sum dñs Ioannes. Ad uocem agnitam, mulier exilit è lecto, pugnamq; dirimit. Hæc præludia. Equidem ut semper pium existimaui, pro defunctis uel orare uel sacrificare, ita talibus terriculamẽtis haud sanè multum tribuerim, etiã si fucus absit, qui uix uncq; solet abesse. Certe Chrysostomus putat hæc omnia dæmonum esse ludibria. Iam si iuuentus propensior est ad istarum rerum neglectum, quas nos non negligi, sed sanctius obseruari cupimus, quin potius hoc haurire creduntur ex libris ac sermonibus Lutheranorum q; ex meis lucubrationibus? Deniq; quum his temporibus exulcerata sint omnia, quis possit tam circumspecte quicq; scribere, quod non ab aliquibus rapiatur in occasionem blandicndi suis cupiditatibus? Multa delenda sunt ex sacris litteris, si paramus tollere, quicquid multis fuit occasio mali. Proferat aliquis unam sententiam male Christianam ex omnibus libris meis, primus eam iugulabo. Theologi quidam aliquot loca damnarãt, priuatis duntaxat iudicijs, sed ea omnia fuerunt eius

generis, ut aut non intellexerint, quod à me fuerat scriptum, aut attulerint insignem calumniam. Non nullas euangelicas sententias ex Paraphrasibus, uelut à me dictas improbarunt. Quot mendacia demonstraui in libro Bedæ, quot calumnias, quot deliberationes? Perfricant faciem, & perinde quasi nihil respõsum sit, pergunt facere quod faciunt. Faustinas elegias, & Pogij facetias in omnem linguam uersas, atq; adeo priapeias obscœnitates per istos licet prælegere pueris: Colloquia mea, linguæ puerorum expoliendæ paratum opus, & Encomium matrimonij, thema fictum, & in exẽplum declamatoriæ scholæ tractatum, ferre nõ possunt, nec ullam grauem causam adferunt quur id faciãt. Ad autoritatis ac turbæ præsidia cõfugitur. Prætexitur sacratissima facultas, & alma uniuersitas, quasi nesciamus quibus technis soleãt interdum eiusmodi senatuscõsulta condi. Plus ubiq; ualet quorundam improbitas, q̃ cæterorum integritas. Dux aliquis & choragus taliũ fabularum, habet sibi iuratos aliquot, horum quisq; trahit quoscunq; potest, prece, precio, pudore, ui. Et huic gregi forte cõtigit Rector, qualem optat: quæritur tempus idoneum, curatur ut adsint, quos uel assensuros uel certe cessuros putant, exclusis his quorum iudicia sciunt honesto seruire potius q̃ huius aut illius prauæ cupiditati. Ita fit edictũ ipsis bonum atq; commodum. Reliqua transiguntur per

p̃ iuratos amicos & Rectorẽ ascititiũ. Euge sic uincit pietas, sic triũphat ecclesia catholica. Quin & principũ ac pontificũ autoritate, ad opprimẽdas hæreses data, abutuntur ad ultionem priuati doloris, & ad obruendas litteras quas ipsi cunq; nõ didicerunt, idq; præter monarcharum ac pontificum mentem uotumq; p̃: quibus hoc propositum est, ut qui legitime conuicti sunt impietatis, Christiana lenitate sanentur, si modo sanabiles sunt, nec nisi tentatis omnibus ueniatur ad extremum supplicium, maxime quum hoc fatale malum, tam late se sparserit. Cæterum ijs, qui rectioribus studijs in lucem reuocandis, qui bonis autoribus uel à situ uel à mendis asserendis, quiq; mentibus hominũ ad synceram pietatem inflammandis sedulo nauant operam, honorem etiã & gratiam haberi uolũt, sicuti complures non habent solum, uerum etiam referunt. Verum istos hoc male habet, quod scholasticæ subtilitates minoris fiant q̃ solẽt. Quid autem obsecro est in rebus humanis perpetuũ? Olim nullæ erant Theologorũ scholæ, & Augustinus habebatur inexpugnabilis dialecticus, quod legisset Categorias Aristotelis. Tandem res Theologica peruenerat ad summum, ne dicam ultra summum, scriptura sacra cum uetustis autoribus frigebat. Nec Petri Lombardi collectanea legebantur, nisi à paucissimis. Bona pars ætatis sophisticis & nõ necessarijs quæstiunculis terebatur. Nunc

aliò

aliò se uertit scena rerũ humanarum, & isti mordicus tenent assueta, debacchantes in omnia, quæ non didicerunt. Monachis quis nescit deberi plurimum honoris? Sed da uere monachos, nõ deerit honos. Verum ubi sunt isti, aut quid habent præter uestem & rasurã exceptis perpaucis? nã nullos dicere religio est. Obsecro te uir pietatis amator, obambula per tuæ regionis monasteria, & uide quantulum illic inuenturus sis, ueræ Christianæq; pietatis, quantulũ sacræ eruditionis, quãtulum uigoris spiritualis, præsertim apud eos qui se uocant mendicantes. Apud nos uero tyrannidem etiam mirificam obtinent. Etiam atq; etiam mihi testandum est, hæc nõ dici in ordinis cuiusq; contumeliam, sed in eos qui de suis ordinibus pessime merentur. Perspiciũt quas ob causas sint inuisi pluribus, nec tamen ea corrigunt, sed improbitate, uiolentia & conspiratione contendunt uincere. Vtinam tibi tantum esset ocij, ut ea legeres quibus respondimus Bedæ, & monachis Hispanensibus. Videres ob q̃ friuolas nugas quantos excitarint tumultus. Nec quicq; illos pudet insciti æ, uanitatis, calumniæ, maliciæ. Ita conspirarunt, Clamemus omnes apud populum, quicquid in sceleratissimum hominem dici potest, ne sileamus in conuiuijs, in secretis confessionibus, in arcanis colloquijs, apud aulicos, summos & infimos, præsertim idiotas, qui libros Erasmi non possunt legere. Illud in primis

primis caueamus, ne quid illius uertatur in linguam popularem, nam ea res ilico proderet nostra mendacia. Ita nimirum uincemus. Quid istis animis maliciosius? & hæc est monachorum pietas. Augustinus dicit nusq; rectius uiui q̃ in monasterijs, nusq; periculosius errari, & tamẽ loquitur de his qui nullis astricti uotis, duntaxat perpetuis, simul uiuebant. Quid nunc diceret, si uideret multa monasteria, quæ nihil differunt à publicis lupanaribus: quid de monacharum multis collegijs, in quibus nihil minus reperias q̃ castitatẽ? De nostratibus monasterijs loquor. Et in his quæ commendantur obseruantiæ nomine, deum immortalem, q̃ rari sunt in quibus animaduertas syncerit atẽ Christiani pectoris? Et tamen ædificamus quotidie noua monasteria. Ac me sibi fingunt hostem, si supis placet, quũ in omnibus scriptis meis nihil aliud agam, q̃ ut ad ueram exhorter religionem. Quæ si illis tam cordi est, q̃ uolunt uideri, qui fit, ut nõ amplectantur nostram operam? Per horum stoliditatem, improbitatem, cum pari malicia coniunctã, prospicio futurum, ut hunc tumultum cui Lutherus dedit exordium, excipiat alius tumultus multo etiã grauior, ni principum & episcoporum autoritas in tempore uigilet. Iam nunc erigunt capita Dominicani quidam & Franciscani, per quamuis occasionem sæuiẽtes in eos, quos oderunt: oderunt autem omnes qui fauent me-

lioribus litteris ac ſynceriori pietati. Nuper in Gallia coniecerũt in carcerem tres, quorum unus erat exuren dus, ni principis æquitas illum ſubleuaſſet, cauſa Lute tiam reiecta. Crimen expectas. Ædificabatur illic re/ gali ſumptu monaſterium. Is alioqui ab omni Luthe raniſmo alieniſſimus, dixerat, hi ſumptus fortaſſis re/ ctius collocarentur in orphanos, uiduas, & pauperes. Hoc dicto monachorum læſa maieſtas, depopoſcit hominem probum ac doctum ad incendium: iam fa ces erant in manibus, iam extructus rogus, iam ſen/ tentia definitiua pronũciata. Capti ſunt alij duo, gra/ uẽ ob cauſam ſcilicet. Morbo coacti duobus quadra/ geſimæ diebus ueſcebantur carnibus, nec id inficiãtur. Hæc ſunt præludia monaſticæ tyrãnidis, quæ niſi co/ hibeatur, quid tandem futurum eſſe diuinãdum eſt? Vates enim optimus, uir prudẽs, Erumpet populi do lor, in atrociorẽ tempeſtatem. Soli mendicãtes, quoſ/ dam improbos inquam noto, nõ ordines, fuere fons & caput totius huius mali: nec cõquieſcet mundus, do/ nec illi redigãtur in ordinem, quod ut fiat, in ipſorum quoq; rem eſt: quin hoc ipſum ſi non maior, certe me lior monachorum pars exoptet. Violentũ eſt tollere monaſteria, quod aliquot locis tẽtatum eſt: illud po/ tius agendum eſt, ut monaſteria ſcholæ ſint ſobrieta/ tis, pudicitiæ, modeſtiæ, ueræq; pietatis. Quibus id ra tionibus fieri poſſit aliàs indicabitur: nũc in trãſcurſu illud

illud attingam modo, monachorum dignitati rectius conſultum iri, ſi legibus oppoſitis uetarentur, pueros ac puellas blanditijs aut terriculamẽtis ad ſuum inſti tutũ pellicere: ſi quos conſtaret arte pertractos, ijs au/ toritate præſulum redderetur libertas, & ad pœnã uo carentur plagiarij. Præterea ſi profeſſis uiris pariter ac mulieribus ꝓſpiceret, ut eſſent uiri graues & integri, qui illos pabulo doctrinæ cœleſtis alerent, neq; quiſq; ſineretur in ocio uiuere: nec mediocriter cõduceret ad eccleſiæ cõcordiã, ut ſi qua fieri poſſit, titulorũ, ueſtiũ, ac rituum tam immenſa uarietas tolleretur: ſatis erat ueſtitum eſſe uilẽ ac ſimplicem, ac uultus potius mo/ resq; compoſiti monachum teſtarentur q̃ amiculi co lor aut forma. Ad hæc ſi reſignatis diplomatibus, qui bus aduerſus monarchas, epiſcopos, magiſtratus & populum, imò uerius aduerſus ſemetipſos ſupra mo/ dum armati ſunt, agnoſcant epiſcopos ſuos, quemad modum fecerunt ac uoluerunt illi, qui proceres & au/ tores ordinum fuere. Verum de his aliàs copioſius. Nunc eò reuertor unde digreſſus ſum. Si quid corri/ gẽdum eſt, adhibeat ea moderatio, quæ Chriſtianos decet, quam q̃ præſtitiſſe uidemus priſcos illos, quorũ erudita pietas cum tot hæreſeon cuneis feliciter depu gnauit. Quid autem effectum iri credunt, ſtolidis tu/ multibus, malicioſis ſyncretiſmis, uirulentis obtrecta tionibus, ſcurrili impudentia, pluſq; militari improbi

tate,manifestis mendacijs? Non solet ecclesia Christi columba,maliciam uincere malicia, neque stultitiam stultitia, neq; impietatē impietate, sed malum bono uincere didicit.De animo meo nemo potest ambige/re,Poterā in Lutherana ecclesia esse coryphæus,malui totius Germaniæ in me concitare odia,q̄; ab ecclesiæ consortio discedere:poterā nouæ factionis autor esse, nullum discipulum mihi paraui, sed quoscunq; potui Christo tradidi,condiscipulos habere malens q̄; discipulos. Fortunam nullam ambio, quum iam pridem inuiter undiq; à summis principibus, ijsq; nō paucis. Videar hoc insolentius dicere, modo sciant ueriſſime dici.Perseuero in tenuitate mea, nec huic ualetudini ac senectuti do rudē, à tam perpetuis & iniquis labo/ribus. Hæc declarant quātum abhorream ab hæresi. Sed offendūt quædam in scriptis meis. Verum non attendunt, quanto grauius offenderint illa, quibus medicādis adhibita est monitio. Quod scholasticam Theologiam ad scripturarum fontes & ad ueterum lectionem reuocare conatus sum,ut ingenue dicam, nōdum me pœnitet, maxime quoties animo reputo, ad q̄ friuolas argutias ea fuerit prolapsa.Quod si uo lunt eam pristinæ dignitati restituere, ne id faciant in alios debacchando, sed exhibendo sobriam & Chri/sto dignam Theologiam,sicut iam in scholis aliquot fieri cœptum est. Vt de monachis quædam admone

rem,

rem,ipsa me pietas & conscientia coëgit, quanq̄ non parum dederim hic quoq; religionis nomini,& uere/cundiæ Christianæ.Hi melius instaurabūt pristinam autoritatē, si pijs ac sanctis moribus declarent se uere monachos esse, q̄ si stolidis mendacijs scurrentur in famam alienam. Et si uere fauēt ordinum suorum di gnitati, tales rabulas quorum & dictis & factis cum primis dehonestātur, cohibeant,& ad eā se conferant synceritatem, qua quondam sibi tantum orbis fauo/rem cōciliarunt.Breuiter id synceris studijs agendum est,ut in hoc rerum tumultu, uincat Christus,eiq̄ soli paretur triumphus, non affectibus humanis,quos in utraq; parte uidemus uictoriam ad se certatim rape/re. Vincat Pontifex & Cardinales, sed si illorum ani/mus spectat ad Christum: Vincāt & monachi si libet, si Christi negocium agunt. Quod si illi suā gloriam, suum uentrē,quæstum & regnum spectant, iam non militamus Christo, sed mundo:nec aufertur malum, sed transfertur:nec sanatur morbus, sed mutatur,for/tassis in peius.Quæ bene docuit monuitq̄ Lutherus, sequamur, nō quia ille monuit, sed quia recta sunt,& scripturæ diuinæ cōsentanea.Nunc periculum uideo, ne non corrigamur ad æqualitatem, sed ut ferè solet usu uenire, deflectamus in diuersum. Velut antehac non parum erat superstitionis in colendis diuis,nunc multum adiungent,quo longius absint à Lutherano

 dogmate.

dogmate. Atqui modus hic erat adhibendus, non ex cessus. Docẽdus erat populus, imagines nihil esse nisi signa, idiotarum animis data. Diuos uenerandos quidem, non adorãdos: perfectius esse tollere sursum animos ad Christum sine imaginibus corporeis, q̃ per imagines: perfectius esse à Christo petere, quicquid impetrare uolumus. Tutius esse Christum nobis imitandum proponere, q̃ quemuis diuorum: diuos religiosissime coli benefactorum imitatione. In templo non conuenire quaslibet imagines, sed in his modum & decorum esse spectandum. Ac ne lõgior fiam, si in cæteris omnibus nõ prorumperetur ad excessum, sed ad temperaturam, sperari poterat huius tempestatis lætus exitus. Verum hoc nunc q̃ futurum est, nisi principes & ecclesiæ proceres submoueant è consilio priuatos affectus, nec aliò spectent q̃ ad Christi gloriam, ac publicã Christianæ religionis utilitatem. Sic agentibus nobis adesset deus, & hos tumultus uerteret in trãquillitatem. Satis enim perspicuum est hanc rerum procellã non sine uoluntate numinis immissam fuisse terris, quẽadmodum olim plagas uarias inflixit Ægyptijs, ut resipiscerent. Consultissimum igitur fuerit, ut omnes ad domini misericordiam confugiamus, & suam quisq̃ culpam agnoscamus. Nunc alij in alios culpam reijcimus, suam agnoscit nemo, nec medelam quærimus malis, sed ultionẽ. Quod ad me pertinet, non

non admodum iniquo animo laturus sum, si omnes meæ lucubrationes obsolescant. Si nocent pietati, nec optarim supersse: sin conferunt ad pietatem, sed ita uisum est deo, siue ob meam, siue ob aliorum culpam aliquam, ut intereant, fiat quod illi uisum fuerit, qui non potest uelle, nisi quod optimum est. Ostendant aliquod dogma Christianæ pietati contrarium, nisi mox correxero, clamẽt me parum esse Christianum. Quid autẽ faciam stupidorum, maleuolorum & imperitorũ suspicionibus, deprauationibus, calumnijs & mẽdacijs? Mentem meliorem illis optare possum, mederi non possum, Vtinam & hoc possim. Christus medebitur, quum illi uisum fuerit. Aldrisius tuus multum laboris mea causa sumpsit, in conferendis exemplaribus, nec habeo quod illi rependam; tam procul semoto: rogo ut illi pro me rependat tua benignitas, quem tibi gratum esse uehementer gaudeo. Dominus Iesus te seruet incolumem. Datum Basileæ, calend. Septemb. Anno domini

M. D. XXVIII.

Mart. Lip. suo S. D.

VT MIHI non potest nõ esse gratum tui pectoris erga me studiũ, ita nolim te serio cũ istiusmodi rabulis conflictari, nec ipse magnopere laboro scire, quid hic aut ille blateret. Expedit, inquis, ut traducantur. Quid hic traductorem requiris, quum à nemine magis traduci queant, q̃ ipsi traducunt sese? Quibus si uere hostis essem, absit autem ut Christianus Christiano male uelit, non optarim aliam uindictam, q̃ ut ad istum modum semet conijciant in odium, contemptum, & risum optimi cuiusq̃. Meam quidem uicem sat moderate fero, me ipsum cõsolans exemplo Dauid, itaq̃ mecum reputans: Quid si hoc illis dominus præcepit, ut mihi maledicant, eoq̃ remedio purgare uoluit, q̃d in me displicuit oculis illius? Fortasse titillauit nõnihil animum meum antehac eruditorum applausus, certe doctorum hominum amicitijs fateor me uehementer fuisse delectatum. Ea uoluptas hoc amaro pharmaco bene diluitur. Atq̃ adeo ut est diuinorum consiliorum abyssus imperscrutabilis, quid si deus utrisq̃ procurat salutem, mihi, ut hominum conuicijs admonitus totus cõuertar ad Christum, illis, ut prodita cunctis insigni stoliditate, cum pari malicia coniuncta, cogãtur aliquãdo resipiscere? Illud demiror istos adeo nihil

nihil uel mentis habere, uel frontis, ut toties confutati, toties deprehensi, toties irrisi, toties cordatorũ omniũ iudicijs exsibilitati, nõ desinant tamen eandem agere fabulam. Quæ tandem res istis tantum præbet fiduciæ, nisi forte populi ruditas, mulierc ularum facilitas, & doctorum recteq̃ iudicãtium paucitas? Præclara uero petra, cui nituntur: at ista petra nõ est Christus, cuius uideri uolunt germani. Quum primum exisset Hieronymus à nobis emẽdatus, persuaserant quum alijs, tum cuidam principi fœminæ, mihi displicuisse stilum Hieronymi, & in hoc sumpsisse operã, ut quod ille suis uerbis fuisset eloquutus, ego meis elegantius efferrem. Quid stupidius? Quasi uel ego possim elegantius dicere q̃ dixit Hieronymus, aut in tantum delirem, ut in cuiusq̃ mutãdo stilo putem tantum laboris esse capiundum. Nec è plebe fuerunt, qui hoc persuaserãt, sed alter Dominicanus, alter Frãciscanus, episcopus uterq̃. Credo istos nullæ mendæ offenderant in Hieronymo, qui nihil illius attigerant. Quum prodisset nouum testamentum, q̃ stolide debacchati sunt quidã è suggestis ad populum, extitisse qui corrigeret Magnificat, qui corrigeret precationem Dominicam, qui corrigeret euangelium Ioannis. Quãtum hic sibi placebant, ut triumphabant, quũ interim eruditis ac sanis omnibus sese propinarent deridendos. Ipse præsens audiui laudes meas. Antuerpiæ concio

nabatur in suo monasterio prior, Theologiæ profes-
sor: id arguebat pileum uiolaceum, alioqui latine prorsus nesciebat, tantum aberat ut sacras litteras nosset. Erat autē concio frequēs ob diē festū Pentecostes. Ibi quum non minus indocte, q̄ insulse recitaret ea quæ ex ineptis centonibus didicerat, mihi forte conspecto, impegit duo peccata in spiritum sanctum, alterum quod auderem corrigere Magnificat, alterum quod dixissem concionatores non intelligere suum thema, quum id sumāt ex sacris litteris sancti spiritus afflatu proditis: quasi nihil interfit inter spiritum sanctum, & talem monachum, quem truncum uerius dixisses q̄ hominem. Quos risus illic uidisses, non solum eruditorum, sed & muliercularum aliquot, quibus eram notus, nam tum ædes habebam in proximo. Vt autem illud diceret, hæc erat occasio. Ante paucos dies ex eodem loco quidā senioulus eiusdem sodalitij fuerat concionatus: thema erat q̄d est 1. Pet. 4. Estote prudentes & uigilate in orationibus. Ibi è suis collectaneis multa dixit de uirtute prudētia, quum græce sit σωφρονήσατε, quod magis sonat, sobrij estote. Sobrietas enim quæ opponitur luxui, & uigilantia quæ excludit somnolentiam luxus comitem, precationi congruunt. Hoc forte dixeram in conuiuio nec molestē nec inimice. Nam is senex mihi uisus est uir minime malus. Tantum dolebam illi nō adesse plus litteraturæ. Quid cōmemorem

de illo,

de illo, qui coram monarcha, circumstante procerum corona, flexis in terram genibus, ambabus manibus in cœlum sublatis implorauit principis opē ad oppri mēdos Erasmi libros: & admonitus ut proferret si q̄d haberet cōpertum in meis scriptis quod aduersaretur pietati, miro supcilio digessit in digitos, tres articulos, quod negarē resurrectionem corporum, quod male sentirem de matrimonio, nec multo melius de eucharistia. Efflagitātibus probationem, eadem stoliditate produxit locū ex 1. Cor. 15. Omnes quidē resurgemus, cui respondet locus ex epistola ad Thessalon. 1. cap. 4. Deinde nos qui uiuimus, qui &c. ubi quoniā ostendo uariam lectionem, nullā omnino dānans, homo mire dialecticus colligebat me negare resurrectionem, si q̄s ille dies deprehendisset in uita, immutarentur ad immortalitatem sine mortis interuētu. Ibi cōstrictus eruditorum argumentis, ut elaberetur respōdit Paulum apostolū Corinthijs hebraice scripsisse: quod dictum multorum risus, principis, ut est clemētissimus, misericordia excepit, quem puduit illius cui fauebat, quum ipm sui nō puderet. Nec hic erat gregarius, sed Theologiæ professor, nunc etiā episcopus. Tāto felicior est hisce tēporibus audacia q̄ sapientia. Huic simillimus erat alter, multorum iudicio magnus Theologus, suo maximus, nec mediocris ecclesiæ columna. Is quū diu clamasset publicitus in nouū testamentum, instare su-

premũ eccleſiæ fatum, ueniſſe antichriſtos, & horum πρόδρομους, ubi uentum eſt ad colloquiũ, nec adeſſent arbitri, rogabã proferret ſi quid haberet quod offenderet in nouo teſtamẽto, quũ cp̃ ſilentẽ efflagitatione premerẽ, reſpondit tandẽ homo uerecundus, ſe nunq̃ legiſſe meas annotationes. Quid aliud reſponderet quiuis Nomentanus aut Balatro? Hoc paulo modeſtior erat alter, etiã dignitate ſuperior, qui cum ſemel atq̃ iterũ citra ullã exceptionẽ probaſſet annotationes meas, ut opus eruditũ ac pium, poſt expoſtulanti mihi quod tũ probaret Lei calũnias, quũ dudũ opus à capite uſq̃ ad calcẽ, ut aiebat, perlectum citra omnẽ exceptionem approbaſſet, reſpondit homo grauis, ſe legiſſe quidem, ſed nõ ita attẽte. Idẽ quum me ſatis odioſe in frequẽtiſſima ſchola ꝑſtrinxiſſet, ſuppreſſo quidẽ nomine, ſed ita ut nemo nõ ſentiret quem peteret, priuatim expoſtulãti ſancte deierauit ſe nihil minus cp̃ de me cogitaſſe, tantũ de matrimonio nõnihil eſſe ſcrupuli. Ea de re quum inter nos cõmentaremur, cõfeſſus eſt ſe quoties cœlibatũ nominaſſem in Encomio matrimonij, ſenſiſſe uitã caſtã ac uirgineam: nec inficiatus eſt, ſe quũ declamationis [illegible]ũ legeret, intelexiſſe ſacrã & eccleſiaſticam cõcionem. Rogaui num æquũ iudicaret, mihi impingi crimẽ hæreſeos, ſi quidã illorũ latine nõ didiciſſent. Subridens obticuit. Agnoſcis, opinor, quos deſignẽ. Nec Bucẽtam ignoras, qui

præter

præter alias ineptias, quas nõ parum multas effutiuit in priuato colloquio, illud putabat nõ ferẽdum, quod in annotatione quapiã ſcripſiſſẽ de Thoma Aqnate, illius uiri ingeniũ indignum fuiſſe, quod in illa tẽpora incidiſſet, nimirũ laudãs illum, & ſeculo imputãs, ſicubi lapſus eſſet. At ille qui Theologus erat abſq̃ grammatica, credebat indignum dici quod ſit deteſtabile. Audis nouũ enthymema, Bucẽta neſcit grãmaticam, igitur Eraſmus eſt blaſphemus in diuum Thomam. Idẽ annotarat locum in q̃ per collationem exaggero quantum malũ ſit obtrectatio malicioſa, quæ idẽ effecit quod libellus famoſus, imò plus lædit: ille credebat à me probari libellum famoſum, quaſi probet adulterium, qui hoc exaggerãdi gratia conferat homicidio. Annotarat locum, in quo recitatis ueterum ſentẽtijs, qui uidentur Mariæ uirgini tribuere peccatũ aliquod actionis, ſubĳcio, & nos facimus eam prorſus immunem ab omni peccato, nimirum indicans recentium quorundã opinionẽ, plurimũ ab illa ueterum diſtare: ille credebat me meo nomine pronunciaſſe, uirginem fuiſſe puram à peccato originis, & hoc erat inter meos errores annumeraturus. Et alia quædã his etiam ſtultiora tũ effutiuit, quæ referre piget. Meditabatur uindictam, at non ſuppetebat ſtilus. Itaq̃ cœpit legere, Virgilium, Iuuenalem, & margaritã poëticam, ut hinc expoliret dictionẽ. Nactus eſt ad eã rem auxiliarios

tres. Opera cõmuni absolutum est præclarum opus. Gestiebat in lucẽ emittere, at nõ licebat per uicarium ordinis. Tandẽ clam fictis titulis emisit asininum partum. Libellus erat exiguus, quo nihil fingi posset indoctius, insulsius, aut insanius, sed in hoc numeraui 70. manifesta mẽdacia. Nec me fugit qui fuerũt autores, Vnius Cornelij Dunelãdij prolixam epistolã, quam Leo scripserat ad me miserunt amici. Ibi profertur huius stolidissimi negocij mysterium. Quũ periclitaretur excusor, ac magistratus eos libellos diuendi uetuisset, Dominicanos aliquot clitellatos emisserũt qui furtim huc illucq; distraherẽt. Nónne bellum facinus, & ordine tam sacro dignum? Eo peracto mox euanuerunt, unus in Zelãdiam, alter in Gheldriam, tertius nescio quò. Solus Rabinus tenuit locũ, nisi quod paulo post fugit è uiuis. Satis enim erat unum facinus ad nominis immortalitatẽ. Et hic talium artifex mihi ob hoc potissimum erat infensus, quod ordini suo parum fauerem, ipse scilicet magnum ordinis ornamẽtum. Brugis episcopus quidam à suffragijs, totã horam debachatus est in Lutherum & Erasmum, quo nimirũ populus suspicaretur inter nos conuenire. Et faceret, nisi tot exemplis ab ipsis didicisset, nõ facile credere personatis. Id quoniã bene cesserat, captato tẽpore, quum abesset eius tẽpli Decanus, à Cantore combibone impetrauit, iterum dicendi facultatẽ, & è suggesto ausus

est

est palàm dicere, quod in libris meis essent quædam hæretica. Descendentem excepit quidam egregie doctus, tum eius reip. pẽsionarius, nunc ad maiorem dignitatẽ euectus. Vrgebat tergiuersantẽ, ut uel unum proferret locum. Quomodo putas elapsum? Vt assolent scurræ, negauit se quicq; legisse mearum lucubrationum, tantum in animo fuisse legere Moriã, uerum illic cõperisse tam profundã latinitatem, his enim uerbis utebatur, ut ueritus fuerit ne quã in hæresim prolabi possim. Vbi primũ exissent epistolæ obscurorum uirorum, miro monachorum applausu exceptæ sunt apud Britannos à Franciscanis ac Dominicanis, qui sibi persuadebant eas in Reuchlini contumeliam, & monachorũ fauorẽ serio proditas: quumq; quidam egregie doctus, sed nasutissimus, fingeret se nonnihil offendi stilo, cõsolati sunt hominem. Ne spectaris, inquiunt, ô bone, orationis cutem, sed sentẽtiarum uim: nec hodie deprehendissent, ni quidã addita epistola, lectorem admonuisset rem non esse seriam. Post in Brabantia, prior quidã Dominicanus & magister noster, uolens innotescere patribus, coëmit aceruum eorum libellorum, ut dono mitteret ordinis proceribus, nihil dubitans, quin in ordinis honorem fuissent scriptæ. Quis fungus possit esse stupidior? At isti sunt, ut sibi uidentur, Atlantes ecclesiæ nutantis, ex his desi-

gnantur cognitores de dogmatibus ecclesiasticis, hi

pronun

pronunciant de libris Eraſmi,& horum arbitrio Chriſtiani ſumus aut hæretici. Ex hoc ſodalitio quidã extitit Theologorum coryphæus,qui iactabat Eraſmum teneri medium, nec elabi poſſe. Scripſit,inquit,Hieronymum nõ fuiſſe uirginẽ. En ipſe Hieronymus profitetur ſe fuiſſe uirginẽ. Vbi? In libello ad Euſtochium, Virginitatem enim, inquit, nõ tantum efferimus,ſed ſeruamus.Hic triũphabũdus ille, qd apertius inquit? Nemo ſeruat quod amiſit, quum Hieronymus ſe ſeruare dixerit,cuius ſeruãdi rationem præſcribit,quẽadmodum dicitur inſtruere milites ad bellum,qui de militari diſciplina præcipit.Vt hic applauſum eſt à combibonibus? At quantus eruditorum riſus,qui ronchi, quæ ſannæ? Nullus eſt dies,quin talium ſtratagematum aliquid deſignent, cuiuſmodi tu quoq; nonnulla deſcribis.In uicina Galliæ parte quadã, Franciſcanus quidã egregie uocalis, nunc̃q; deſinebat in me uociferari publice, priuatim, in conuiuijs,è ſuggeſto.Expoſtulaui cum homine epiſtola ſat prolixa, ſimulc̃q; monui eius regionis principem, ut hominis improbã petulantiam compeſceret, id etiã ad publicam ditionis tranquillitatem referre.Mihi reſcripſit Eccleſiaſtes ſancte deierãs ſe nunc̃q; de me niſi honorifice loquutum, eadẽ aſſeuerauit apud nobiles quoſdam, qui blaſphemias illius toties ſuis auribus acceperant. Sed huiuſmodi permulta tegit ſacra cuculla Frãciſci.Similis fuit impro

improbitas cuiuſdã Dominicani,qui præfatione maledica comitem quendam proſciderat,nõ ferendis in eũ conuicijs debacchãs.A cuius amicis quũ urgeretur, ſcripſit ſua manu palinodiam,qua deierat ſe tale nihil unc̃q; ſiniſtre de comite ſenſiſſe,ſed ſemp illũ habuiſſe pro uiro docto & pio. Atqui eadem palinodia recitabat uerba præfationis, quæ non poterant in alium cadere c̃q in comitẽ.Eſt apud me palinodia. Hic utrum mauis interpretari,ſtuporem inſignem,an pluſc̃q; ſcurrilem impudentiam? Et tamen hic erat lux ordinis,cognitor inſignis de negocijs fidei,incomparabilis Theologiæ profeſſor.Quid cenſes dicere facere c̃q gregarios illos ſodales, quibus ſatis eſt, ἀυδὲ ἔφα, & mox applaudunt,acclamãt,toto c̃q corpore diſcedũt in ſentẽtiam? Apud Hiſpanos quidam è Franciſcano ſodalitio, uir habitus doctus ac pius,etiã articulos prodidit è meis libris decerptos, quorum unus erat pluſc̃q; hæreticus, quod in Enchiridio ſcripſiſſem,apoſtolis adfuiſſe ueram germanam c̃q Theologiã . Vociferabatur apud populum,Quis,inquit,ferat hunc ſcriptorem? Negat uſc̃q; eſſe ueram Theologiam,præterc̃q; in Germania, quum ea penè tota ſcateat hæreſibus.Alterum prodidit non minus periculoſum. In canone quinto ſcripſeram,non eſſe magnum efferri in cuculla Franciſci, nec profuturam ueſtem , niſi quis uitam illius fuiſſet imitatus.Hic aiebat me ſentire cum Montano,qui lapſis

negauit reditum in gratiã: quasi non sit reditus in gratiam, nisi per cucullam Franciſci, aut quasi cuculla conferat homini bonam mẽtem. Ex Paracleſi damnarat eum locum, ubi dico me cupere, ut omnes mulierculæ legant Euangelium & epiſtolas apoſtolorum. Id illi uiſum eſt hæreticum, quũ extent duæ Ioãnis epiſtolæ ad mulierẽ. Sed unde probauit hæreſim? Aduerſatur inquit, Pauli præcepto, qui 1. Timoth. 2. ſcribit, Mulier autẽ in ſilentio diſcat cũ omni ſubiectione &c. Quaſi mulieri non liceat domi hiſcere, aut quaſi ſit idem mulierẽ in eccleſia loqui, & domi tacitam aliquid legere. Huius ferè generis triginta articulos collegerat, & euulgarat ille Frãciſcanæ gẽtis coryphæus. Nuper Dominicanus quidã prior inter ſuos pro docto habitus, medicum quendã utriuſq; litteraturæ cum primis eruditũ, meiq; nominis ſtudioſum, aggreſſus eſt, ut eius animum fucatis uerbis ab Eraſmi ſtudio reuocaret. Quũ nihil proficeret, ſed medicum potius accenderet, ut magnificẽtius de me tum ſentiret, tum prædicaret, oblitus ſimulatæ modeſtiæ Theologus, cœpit ueras ædere uoces, pronũcians Eraſmi libros indignos qui legãtur à bonis, q̃d omnes ſcateãt obſcœnis conuicijs. Exemplum flagitãti medico, lege, inquit, librũ quem nup ſcripſit de matrimonio. Quid illic? Appellat epiſcopos cinædos, addẽs illos habere quaternas aut quinas concubinas. Hic riſu ſublato medicus, næ tu, inqt, pulcre

pulcre oculatus es, qui uideris quod ego in libro ſemel atq; iterũ lecto nõ uiderim. At Theologus ſua cauſa fretus, profer inquit, codicẽ, & oſtẽdam. Prolatus eſt, indicatus eſt locus, in quo diſputo, quod hodie non recipitur ad presbyteri gradũ, qui inſciens pro uirgine duxit corruptam: ſed qui cum multis meretricibus habet conſuetudinem, recipitur non ſolum ad honorem presbyterij, uerum etiã ad quatuor aut quinq; epiſcopatus. Verba mea ſic habent, Qui imprudens duxit corruptã pro uirgine, dicitur diuiſiſſe corpus ſuum, & qui cum tot meretricibus habuit cõſuetudinem, nõ diuiſit corpus ſuum, ſed tanq; purus putus, & ut græci dicunt τέλειος recipitur ad quatuor aut quinq; ſi libet epiſcopas. Medicus admirãs, ubi hic, inquit, cinædus, ubi quinq; cõcubinæ? Tandẽ ex oratione reſpõdentis deprehẽdit inſignem hominis delirationem. Hiſpani quemadmodũ Itali uulgo putum appellãt draucum ſiue ſcortũ maſculum, quẽadmodũ putanas appellãt ꝓſtibulas. At ueteres ex cõſuetudine priſci iuris, purũ putum dicebãt, quod eſſet ſyncerum, nam à puto nos putare dicimus pro purgare. Habes cinædũ. Sed ubi quinq; concubinæ? Exiſtimabat ab epiſcopo dictas epiſcopas, quemadmodum à domino dicimus dominas. At ego quoniam epiſcopatus nec græca uox eſt nec latina, eãdem uocem uſurpare malui, qua Paulus uſus eſt ἐπισκοπή. Qui talibus exemplis ſuã traducunt

quasi principium aut origo, aut ulla uox alia proprie quadret rebus diuinis. Et quæ sunt illæ uoces similes? An principiũ, origo, fons, & huiusmodi? Certe latinis eleganter autor dicitur, unde uelut à fonte primo fluxit aliquid. Et diuus Hilarius, patri tribuit autoritatẽ ceu peculiarẽ, quod in eo sit summa & absoluta principij ratio. Nec Augustinus cũ Ariano Maximino disputans horruit autoris uocabulum. Quum enim ille dixisset, Patrem adoramus ut autorem, Augustinus interpretatur autorẽ principiũ filij & spiritus sancti. Num hic æquũ uidetur, ut ego dicar impie loquutus de deo, quod ille Theologus non didicisset latine, nec Hilarium & Augustinũ legisset? Quid hic cõmemorem Christi Paulicq; sententias, meo nomine damnatas, quũ in Paraphrasi sub aliena persona referãtur? In his quæ scripto uulgarunt in me, Leus, Stunica, Beda, quot ostẽdo deliratione, inscitias, malicias, calumnias, & mendacia, quot etiã blasphemias, si quis illos uerbis urgeat, quẽadmodum nobis de uocibus struũt calumnias? Hæc quũ ipsi designent, mihi imputant, quod apud quosdã minus bene audiunt. De sua gloria uiderint ipsi, nos quod quidẽ in nobis erit, Christi gloriã obscurari cupiditatibus hominũ nõ patiemur. Tum demũ uere feliciterq; gloriabimur, si in illo gloriemur. Istiusmodi rixis, conuicijs, obtrectationibus, sycophãtijs, technis, mẽdacijs, deprauationibus, quid aliud

aliud efficitur, nisi quod labefactatur ipsorum autoritas, quã oportebat esse grauissimam: inficiuntur auditorum & lectorũ animi, quos oportebat ad pietatem excitari: dissciditur Christiana concordia, sine qua Christiani nõ sumus. Meum ingeniũ sic abhorret ab huiusmodi cõflictationibus, ut ad omnia malim obticescere, cq; toties in harenam prodire gladiator, nisi scirem impiũ esse, impietatis crimen agnoscere, quum mens uacet impietatis affectu. Mihi certum est rectã sequi cõscientiam, & in his rerum procellis à Christo non dimouere oculos. De exitu uiderit ipse. Tu si me audis, non nimium conflictaberis cum istiusmodi rabulis, ne quid officiãt isti felicissimæ tuæ trãquillitati, quã tibi præstat huius mundi contemptus, sacrorum uoluminum meditatio, & uitæ cœlestis cõtemplatio. Seruet te dominus Iesus. Datum Basileæ, Nonis Septemb. Anno M. D. XXVIII.

BASILEAE APVD IO. HERVAGIVM
ET HIERONYMVM FROBENIVM
M. D. XXVIII.